36

GERMON
DE VETER
DIPLOMA
TOM. I.




EX·LIBRIS·COMITIS·PETRI·CAROLI·BORGOGELLI

DE VETERIBUS REGUM FRANCORUM DIPLOMATIBUS,

ET ARTE
ſecernendi antiqua Diplomata vera à falſis,

DISCEPTATIONES.

Adverſus R. P. D. THEODORICI RUINARTII, & Cl. V. JUSTI FONTANINI Vindicias; atque Epiſtolas Cl. Virorum DOMINICI LAZZARINI, & M. ANTONII GATTI.

Auctore P. BARTHOLOMÆO GERMON, *Societatis* JESU *Preſbytero.*

PARISIIS,
Apud CLAUDIUM RIGAUD, Typographiæ Regiæ Præfectum, viâ Citharеâ.

M. DCCVII.
CUM PRIVILEGIO REGIS.

INDEX CAPITUM,

Quæ in hoc volumine continentur.

DE

DE VETERIBUS REGUM FRANCORUM DIPLOMATIBUS,

ET ARTE secernendi antiqua Diplomata vera à falsis,

DISCEPTATIO.

Adversus R. P. THEODORICI RUINARTII Vindicias.

ADversus primam de veteribus Regum Francorum Diplomatibus Disceptationem eruditi Viri tres hactenus insurrexerunt; R. Pater

Joannes Mabillonius in *Supplemento librorum de re diplomatica*, Clarissimus Vir Justus Fontaninus in *Vindiciis veterum Diplomatum*, & Rev. Pater Theodoricus Ruinartius in *Ecclesia Parisiensi vindicata*. Quid de *Supplemento* Mabilloniano sentirem, in secunda Disceptatione fusè exposui. Justi Fontanini *Vindiciæ* quo in loco sint habendæ, quarta Disceptatio mea demonstrabit. Solus in tertia confutatur Ruinartius: cujus hæc saltem propria laus est, ut cæteris rem propius attingat, atque ex iis quæ à me dicta sunt nihil fere dissimulet & omittat; sed pleraque excutiat & impugnet, eoque impugnet modo, qui incautum Lectorem facile persuadere possit. Cui tamen ita me responsurum esse confido, ut Vandemiris & Ercham-

bertæ chartam, quam ſolam ab omni ſuſpicione falſi purgandam ſuſcepit, minimè purgatam eſſe omnes intelligant. At priuſquam rem aggredior, ſtatui hic pauca quædam in anteceſſum præmittere.

CAPUT I.

Injuſtæ quædam Adverſarii criminationes repelluntur.

CUm in Diſceptationibus meis nihil habuerim antiquius, quàm ut cauſam quam modeſtiſſime poſſem, & ſine ulla cujuſquam offenſione pertractarem: ſperabam fore ut Adverſarii iiſdem veſtigiis inſiſterent, & ab iis abſtinerent omnibus, quæ perſonam ſpectant, ad rem autem nullo pacto attinent. Verum aliter ipſis viſum eſt: nec minus ſtudiosè colligunt,

quæ odium mihi & invidiam importare posse putant, quàm quæ idonea sunt ad argumenta confutanda. Quam quidem ipsorum agendi rationem æquo animo paterer, aut certè dissimularem, si nihil nisi vere esset exprobratum. At cum multa mihi falsò affingantur, liceat hæc paucis & modeste refellere.

I. Reverendò Patri Ruinartio placuit opusculum suum ita inscribere: *Ecclesia Parisiensis vindicata adversus R. P. Bartholomæi Germon duas disceptationes.* Splendida sanè inscriptio & magnifica, qua insignis Parisiensis Ecclesiæ vindicem se Auctor gloriatur. Verum duo sunt quæ in inscriptione hac desiderem, ut fidelis sit, nec in me injuriosa.

Non satis fidelis est; siquidem id spondet, quod Scriptum non

habet. Enimverò quid Ruinartius in his suis Vindiciis exequitur? Hoc unum scilicet, ut Vandemiris & Erchambertæ chartam à suspicione falsi, quantum in se est, liberet. Debuerat ergo hoc unum in titulo proponere, libelloque hanc præfigere inscriptionem: *Vandemiris & Erchambertæ charta vindicata.* Id postulabat debita Lectoribus fides, quibus fucum facere velle videtur, qui aliud exhibet in Scripto, quàm quod promiserat in titulo. Verum qui sic Lectoribus illudit, timeat, ne isti ubi primum delusos se senserint, lusorem vicissim rideant; neve inspecta libri ambitiosa sed fucata inscriptione, indignabundi identidem ingeminent illud Poëtæ: *Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu? &c.*

Neque solum opusculi inscrip-

tio infidelis fuit : fuit etiam in me injuriosa. Qui enim proclamat se Parisiensis Ecclesiæ vindicem adversus Germonii Disceptationes, ille Germonio crimen imponit impugnatæ Parisiensis Ecclesiæ. Neque enim Parisiensis Ecclesia eget vindice, si dignitas ejus non est violata. At infert certè injuriam, quisquis à me violatam ait dignitatem Parisiensis Ecclesiæ, quam impensè, ut par est, colo & semper colui.

Et verò interrogemus Ruinartium; exponat ipse quid scripserim, quidve sim locutus, ut me inquinati Parisinæ Ecclesiæ splendoris reum faceret : scilicet reconditum in Archivo San-dionysiano Vandemiris & Erchambertæ instrumentum in suspicionem vocavi ; neque enim aliud crimen mihi imponitur. Censet

nempè Adversarius non posse istud attentari absque Parisiensis Ecclesiæ injuria. Cur verò ita existimat? ipsum audiamus.

Hæc *charta*, inquit, *insignis Ecclesiæ Parisiensis veteres titulos seu Basilicas spectat.* Utrum accuratè loquatur, nec ne, qui Monasteriorum Ecclesias *titulos* vocet, nunc non examino. Illud unum assevero, nullam insigni Ecclesiæ injuriam fieri, cum falsi postulatur instrumentum, in quo veteres aliquot agri Parisiensis Basilicæ laudantur: alioquin Mabillonius non modo Basilicæ Sandionysianæ, sed etiam Ecclesiis Viennensi, Arelatensi, aliisque permultis, imò & Romanæ, injuriam fecisse dicendus esset; cùm instrumenta varia Ecclesias illas spectantia spuriis esse annumeranda, aut demonstravit ipse, aut

saltem candidè confessus est. Simili modo constat Vandemiris & Erchambertæ instrumentum rejici posse ut spurium sine ulla injuria Ecclesiæ Parisiensis, cui instrumenta spuria ad suam dignitatem tuendam minimè sunt necessaria. At non potuit Adversarius sese Parisiensis Ecclesiæ vindicem dicere adversus disceptationes meas, quin mihi per summam injuriam violatæ Parisiensis Ecclesiæ crimen falso imponeret.

Verum siquidem Ruinartius Parisiensis Ecclesiæ vindex esse cupit, docebo illum, quinam sint, adversus quos Parisiensis Ecclesia fuerit vindicanda. Vindicanda fuit adversus ipsos tabularii San-dionysiani custodes, qui Vandemiris & Erchambertæ chartam, quam genuinam pu-

tant,tamen apud ſe retinent; cùm debeat, ſi vera ſit, in Eccleſiæ Pariſienſis Grammatophylacio aſſervari. Atque hoc ut Ruinartius intelligat, expendat diligenter ipſum Vandemiris & Erchambertæ teſtamentum, in quo ambo Legatores * diſertè mandant, ut duo uno tenore inſtrumenta ſcribantur, unum apud ipſos Legatores manſurum, alterum tradendum Legatariis & in Eccleſiæ Pariſienſis tabulario recondendum. Si ergo ſincerum eſt teſtamentum, quod Mabillonius produxit, cur Teſtatorum voluntati non obtemperatur? cur, uti mandatum eſt, inſtrumentum in ipſa Pariſienſi Eccleſia non reponitur? En quàm ob rem Pariſienſis Eccleſia fuerat vindicanda. Quanquam illa, ſi inſtrumentum ſpurium eſt, non

* *In clauſula ipſius teſtam.*

egebat vindice; ſpurium enim inſtrumentum poteſt & ab Eccleſia Pariſienſi ſine culpa negligi, & à San-dionyſianis ſine injuſtitia retineri. Sed quid ego hæc? Ad Ruinartii Vindicias regredior, quarum inſcriptio cum nec propoſitum Auctoris ſatis fideliter repræſentet, & mihi calumniam inferat, ignoſcat Vir Religioſus, ſi pro meo jure poſtulem, ut hæc emendetur.

II. In ipſo Vindiciarum ſuarum ingreſſu Ruinartius ait, me * *politioribus maximè literis inſtructum in celebre Mabillonii opus de re diplomatica inſurrexiſſe*. Quod quidem dum hîc Ruinartius, & ante ipſum Mabillonius in *Supplemento*, aliique ipſorum amici in circulis, non ſine affectatione ſæpius obtrudunt, non tam aliquam mihi politioris

* Pag. 1.

literaturæ laudem tribuere velle videntur, quàm contemptum mihi & invidiam conflare, quasi non aliò quam humaniorum literarum adjumento ad disceptationes de Mabilloniana Arte componendas gravissimamque hanc causam pertractandam accesserim; quod sanè ineptum esset ac ridiculum. Quare ut tam falsæ accusationi, quam audio studiosè spargi in vulgus, finis tandem imponatur: necesse est pauca quædam de studiorum meorum ratione dicere. Vigesimus octavus jam fluit annus ex quo in Societatem nostram magno meo bono admissus sum. Ex his annis non nisi sex in humaniorum literarum studio sunt collocati: quare si quid in his literis profecisse Adversariis videor, quod sentio quàm modicum sit & exile, si

quid tamen ipsis videor profecisse, non inde debent colligere nobiliorum artium studia magis seria esse à me abjecta. Neque vero memini me ullam in Disceptationibus meis tam injustæ criminationi ansam dare. Mabillonianam Artem confutaturus, ne unum quidem politioris literaturæ Scriptorem appellavi, sed diplomatum stylo eorum Scriptorum stylum opposui, qui eâdem ætate floruerut, quâ diplomata confecta esse dicebantur. Chartarum autem spuriarum falsitatem ut retegerem, nonnisi coætaneos, aut ubi illi deerant, celeberrimos historiarum cujusque ævi Scriptores consului. Hæc cum præstiterim, quis non miretur homines & vitæ meæ & rationis studiorum meorum plane ignaros temere tamen & confidenter

denter affirmare, quod nonnisi in humaniorum literarum studio sim versatus?

III. Temeritatis me Ruinartius insimulat, qui impugnaverim *celebre Mabillonii opus de re diplomatica, quod omnium silentio, ne dicam elogio* (Ruinartii verba sunt) *jam à viginti & sex annis probatum videbatur.* Quæ Adversarius cùm scripsit, non satis attendit, quantum hæc duo differrent, Mabillonii opus laudare, & institutam ab eo Artem probare. Celebre Mabillonii opus laudant omnes, propter Auctoris ingenium & multis laboribus emptam eruditionem: at traditas isto in opere regulas judicandi vera & falsa diplomata non item omnes probant. Cujus rei cum testes sint non pauci, duo tantum nunc proferentur, quo-

rum testimonia non ita pridem in lucem publicam prodierunt.

Primum appello celeberrimum atque in his rebus versatissimum e Congregatione Sanctæ Genovefæ Canonicum Regularem Patrem Molinetum : qui quidem aiebat, atque etiam dato ante viginti annos scripto affirmabat * Libros *de re diplomatica* facile convinci posse falsi, neque ad id alia requiri instrumenta, quàm quæ in his Libris continentur. Quod ille facile fieri posse docuerat, istud à me tentatum esse, cur Ruinartius miratur & reprehendit ?

* *Lettr. Criti. pag. 108.*

Alterum testem produco Georgium Hickesium Anglum, Heterodoxum quidem, sed Antiquarium peritissimum. Is in edito nuper Oxoniæ egregio opere * Mabillonium cumulat laudi-

* *Linguarum vet. Septentr. Thesaurus.*

bus ; appellat virum maximum & doctissimum, & *regulas ejus rite explicatas comprobare se & amplecti omnes* ait * : quanquam plerasque ridet & ostendit à Mabillonio perperam intellectas fuisse, & explicatas.

* *Ibid præfat. Pag. 36.*

Ad primam regulam observat Mabillonium * *sub prudentiæ, moderationis, & æquitatis prætextu instrumenta falsa aut corrupta liberasse, quæ merito damnari debent ; & fortissimis argumentis argumentorum umbras opposuisse.*

* *Ibid.*

Secundam regulam, qua dicitur *semper cum favore judicandum esse*, penitus explodit * ; & spectare ait ad solum Judicem forensem, non ad Antiquarium. Hunc severiorem esse jubet in judicando ; quia existimat Monachos olim, ut sua tuerentur, plurima diplomata confinxisse : cu-

* *Ibid.*

jus rei postquam exempla aliqua
* Pag. 37. subjecit *, contendit Dubletianum de immunitate Sancti Dionysii diploma male à Mabillonio propugnatum fuisse, atque hoc postremum, ut mihi videtur, evincit.

* Pag. 38. Ad tertiam regulam Lectores admonet, ne * *Auctoris hujus regulæ exemplum* secuti, commentitias chartas ut defendant, negent ibi plures esse falsi notas, ubi plures reipsa deteguntur.

Quartæ regulæ sensum esse incertum, eumque inutilem fore docet, donec explicatum fuerit, quid per *defectum essentialem* intelligatur; præsertim cum ipse Mabillonius *vitiis essentialibus* non ea annumeret, quæ talia vi-
* Pag. 39. dentur. * Verbi gratia, *Privilegium pro Curbionensi Monasterio conditum dicitur tempore Theo-*

derici Regis, quod tamen Mabillonius conditum esse fatetur tempore Chilperici: id vero, eodem Mabillonio judice, non essentiale vitium diplomatis est.

Quinta Mabillonii regula docet, *non semper in diplomatum præjudicium citari debere Historicos & titulos, quamvis authenticos & æquales.* Contra* Hickesius monet *Historicos & titulos publicos fere semper in diplomatum præjudicium citari solere à Criticis.* * *Ibid.*

Sextam regulam Hickesius aperte rejicit*, *ut fallacem & dolosam,* quæ *viam sternat ad vindicandum quodvis falsissimum corruptissimumve donationis diploma.* * *Ibid.*

Denique idem Scriptor addit*, *ita Libros de re diplomatica à doctissimo Auctore comparatos esse,* * *Ibid.*

ut nullum fere tam grave crimen in reum diploma intentari possit, quod Mabillonio patrono aut Mabillonii artibus non facile depellatur : Mabilloniumque * *plus satis versutum Monastici Ordinis homines docere, quibus technis & subterfugiis commentitiæ suæ chartæ propugnandæ sunt.*

* *Ibid. p. 41.*

Hactenus Hickesius : à quo verè quidem & eruditè observatum censeo, quod traditæ in Libris de re diplomatica regulæ prout à Mabillonio explicantur, pleræque aut falsæ sint, aut incertæ, aut inutiles ad judicandam diplomatum veritatem. At cum Scriptor Heterodoxus Religioso viro versutias, fallaciam, technas objectat, temereque asserit, aut insinuat Libros de re diplomatica eo tantum consilio scriptos esse, ut Monachi ha-

beant, unde ſpuria ſua diplomata defendant; abſit, ut præcipitem & dignam malevolo homine atque in Monaſticum Ordinem infenſo, cenſuram approbem. Mihi Mabillonii fides & integritas nunquam ſuſpecta fuit; ipſumque ſemper à pravis artibus & dolis procul abhorruiſſe puto. Hickeſii tamen judicium recitandum fuit, ut diſcat Ruinartius, Sodalis quidem ſui eruditionem paſſim celebrari, Artem autem & regulas judicandi vera & falſa diplomata non à me ſolo impugnari.

IV. Ætatem mihi præterea objiciunt, & conqueruntur paſſim * *hominem ſenem à me juvenili ardore eſſe provocatum.* Quod quidem dum jactant, palam faciunt quam inconſultò ſcribant, quidquid de me vel ab aliis accepe-

* *Pag. 3.*

rint, vel ipsi confinxerint, Ac primo nunquam audiveram, non posse in arenam literariam descendere, nisi qui instrumento authentico canum se & Senem probasset. Esto Juvenem non deceat in Senem pacis amantem superbè & petulanter insurgere. At Viro certe licet modestè examinare, atque etiam, si res ferat, confutare, quæ Vir olim, quamquam nunc emeritus Senex, Mabillonius scripsit. Quis enim majorem in eo requirat ætatem, qui inventas ab alio Artis alicujus regulas examinat, quàm in illo qui easdem instituit. Atqui siquidem Adversariis placuit annos spectare potius, quàm argumenta ponderare, totidem fortè nunc annos numerare possum, quot numerabat olim Mabillonius, cùm Libros *de re diplomatica* compo-

ſuit. Mabillonium nonniſi duobus annis majorem eſſe ſeptuagenario, ſciſcitanti mihi quidam nuper retulerunt. Si ita eſt, cùm jam vigeſimus ſextus annus effluxerit, ex quo Libri *de re diplomatica* in lucem prodierunt, nonniſi quadrageſimum ſextum annum agebat, quando illos edidit : quando vero illos compoſuit annum agebat circiter quadrageſimum quartum. Atqui mihi nunc eadem eſt ætas : utinam mens eadem & eruditio foret!

Verum qui ætatem mihi crimini vertit Ruinartius, quot annos, quæſo, natus erat, cùm præfationem in Gregorii Turonenſis opera vulgavit ? Pauciores fortaſſe, quam nunc ego natus ſim. Si quis ergo eruditi Cointii, quem impugnavit, vindicias ſcribens, ab editore fuiſſe *auſu & ardore ju-*

venili interturbatos optimi Senis cineres exprobraret, rideret ipse Vindicis imprudentiam, qui quadragenario multò majorem Virum Juvenem appellasset. Absit, ut ego eamdem ob causam religiosum & eruditum virum ludos facere velle videar : liceat tamen hominem admonere, ne inani & malesarta criminatione ipse det locum ludis.

* Pag. 6.

V. Addit Ruinartius * *reclamasse omnes omnium simul ordinum homines, nullumque non obstupuisse, cùm animadvertèrent hominem ex generalibus quibusdam præjudiciis cæco velut impetu, universis, quæ vetustatem aliquam præferunt, instrumentis assultantem.* Reclamationem & stuporem quem *omnibus omnium simul ordinum hominibus* tribuit Ruinartius, debuerat, si accura-

tè loqui vellet, ad illos ſolos referre, qui ex Mabillonii aut ejus aſſeclarum relatione de controverſia hac non lectis diſceptationibus meis præjudicarunt. Has enim ſi legiſſent, intellexiſſent illico generalibus argumentis, quæ in prima Diſceptatione mea continentur, nunquam me evincere voluiſſe, quod falſa ſint inſtrumenta omnia, quæ vetuſtatem aliquam præferant : ſed ex his argumentis duo tantum à me colligi, quæ reipſa ex his certiſſime, ut reor, ſequuntur ; nimirum inſtrumenta quæ ex privatis Tabulariis educta ſpeciem aliquam habent antiquitatis, non eſſe ejuſmodi, ut debeant ſine examine recipi tanquam vera, aut ſine probatione venditari tanquam indubitata verorum authographorum ſpecimina. Quæ duo priuſ-

quam Mabillonii Artem impugnarem, mihi erant necessario demonstranda. Nam çum multi gravissima Mabillonii auctoritate inducti admitterent pro veris, quæcumque diplomata ipse vera existimasset: antequam eadem sigillatim expenderem, aspergenda fuerunt aliquot suspicionibus, quibus hæc examinanda esse persuaderem. Deinde cum iisdem Diplomatibus superposita sit tota Artis Diplomaticæ structura, nec ullam, nisi ex his firmitatem habeat; exigendum erat à Mabillonio, istorum ut veritatem certis argumentis demonstraret: hoc autem exigi non potuit, quin ostenderetur Diplomata illa aliquot laborare suspicionibus, quæ essent expurgandæ.

En quo consilio generalia quædam

dam argumenta in prima Disceptatione mea collecta sint. Quibus argumentis nemo prudens negaverit istud certissime effici quod volueram ; nemo cordatus dixerit aliud quàm quod modo exposui, efficere me voluisse. Istorum igitur argumentorum non me *suppuduit* in secunda Disceptatione, ut * Adversarius exprobrat, sed cum audirem quosdam seu præjudicatis opinionibus occupatos, seu abreptos studio partium, aliud animo percepisse quàm quod in libro meo legerant, libuit perspicuè magis & enucleatè mentem meam explanare. Hi ergo *quos suppudere* debuit pravè detortæ interpretationis, suum in me pudorem transferre nituntur, & jactant quod me jam illorum argumentorum *suppudeat*, quibus urgeri

* Pag. 7.

maxime Adverſarium, & in anguſtum cogi certum eſt: licet enim cum confidentiſſimis Adverſariis concertantem paulò etiam confidentius loqui. Igitur generalia illa momenta quibus conatus ſum demonſtrare Mabillonio indubitatam Autographorum ſuorum veritatem prius probandam fuiſſe, quam Artis diplomaticæ fundamenta his ſuperponeret: hæc inquam momenta non modo non abjeci in ſecunda Diſceptatione, ſed confirmavi potius: iiſque etiamnum ſic inhæreo, ut putem hæc una, ſi ſtent inconcuſſa, ſatis eſſe ad evertendam Artem Mabillonianam; quippe ejus eſt qui Artem condit, firma ſubſtruere fundamenta, quæ ſi vacillant, Ars ipſa vacillet neceſſe eſt.

VI. Mihi etiam vitio vertitur,

quod * *chartas quas impugnare animo proposueram, nunquam viderim, idque ipse palam aliquando confessus sim coram summo Magistratu.* Quæ exprobratio non intelligenda est de chartis, quales in libro quinto *de re diplomatica* æri incisæ, vel in sexto exscriptæ repræsentantur; ridendum enim se omnibus præbeat, qui has chartas neget inspectas à me & diligenter excussas. Sermo est igitur de ipsis Autographis, quæ in secretis Tabularii Sandionysiani armariis latent. * Pag. 8.

Porro Autographa hæc non esse à me visa non dissimulo, & me id ultro coram summo Magistratu esse confessum: imò & id ipsum in prima Disceptatione mea aperte significaveram, ubi Mabillonium sic compello *: * Pag. 139
quod si tu aliud judicas, qui non

diplomatum effigies, sed diplomata ipsa habes ad manum: tuum est &c..... Idem paulo ante multò clarius declaraveram his verbis: * *Autographa ad manus habere cùm non liceret, ex insertis libro tuo tabellis totum judicium institutum est.* Quare frustra in suæ causæ subsidium venerandum ac magni nominis testem hîc advocat Ruinartius: neque enim opus est testibus, ubi qui vocatur in judicium veritatem non modò non celat, sed ultro ipse, nec rogatus evulgat. Igitur ne rursum Adversarii cogantur testes quærere: rem coram omnibus denuo declarare non subterfugio. Instrumentorum, quæ postulo falsi, Autographa non vidi. Volueram videre, sed cum sensissem mihi ad illa aditum esse difficilem, non multum institi.

* Pag. 188.

Et vero procul à ſcopo aberrant, nec ſatis cauſæ rationem intelligunt, qui ad hanc pertractandam iſtud eſſe neceſſarium aut utiliſſimum arbitrantur. Quid enim mihi animo propoſueram? nempè hoc unum, explorare an inſtituta à Mabillonio Ars diplomatica ſatis firmis fundamentis ſubſtructa ſit. Ars autem illa ſubſtruitur tota inſtrumentis; quæ ipſe Artis inventor in libro quinto æri inciſa vel in ſexto exſcripta repræſentat. Diplomatum effigies iſtæ ſynceræne ſint & autographis per omnia ſimiles, necne, alia quæſtio eſt. Mihi cùm nullo pacto ſuſpecta eſſet pii ac eruditi Scriptoris fides & diligentia, ſynceras eſſe & fideliſſimas pro indubitato poſui. Id ſi Ruinartio moleſtum eſt, ſi hanc ille Sodali & magiſtro ſuo injuriam

inferre velit, ut neget ab eo expressa fideliter diplomatum autographa; inferat, per me licet: nihil enim inde causa mea patitur detrimenti; imo magno istud erit emolumento. Nam posito semel quod Mabillonii apographa ab autographis differant, Ars ejus nulla est. Jamverò si non differunt, nævique omnes, qui in unis occurrunt, in aliis etiam reperiantur, nihil refert, utrum illa, an hæc inspiciantur; nec quicquam est quod merito Ruinartius exprobrare possit. Uno verbo animo proposueram chartas examinare, quales ad stabilienda Artis suæ præcepta & regulas Mabillonius exhibet: nonnisi apographa exhibuit, fidelia quidem, ut reor, & autographis consentanea: satis fuit ergo hæc apographa examinare: neque ali-

quid poteſt ultra exigi, niſi ab eo qui timeat ne in ipſis autographis lateant aliqua falſi argumenta, quæ in apographis prætermiſſa ſint. Ego vero cùm nihil ſimile ſuſpicer, potui pro jure meo Apographis uti tanquam autographis.

Hæc ſunt quæ Adverſarii mihi in ſcriptis objectant, nec in ſcriptis tantum, ſed etiam in doctorum hominum circulis, ubi hæc eadem ingeminant non ſine contumelia. Ego vero quanquam in adverſariis meis notata habeo peccata ipſorum non pauca: non committam tamen unquam, ut quæ ad tuendam cauſam non ſunt neceſſaria in lucem proferam. Certum mihi eſt fixumque, cum Adverſariis non maledictis ſed argumentis certare.

CAPUT II.

Ruinartii Vindiciis Mabillonii causam non multùm adjuvari.

Libris *de re Diplomatica* reconditiorem doctrinam & præclaram eruditionem contineri, extra controversiam est, & mihi semper persuasum fuit. Hoc unum in quæstionem voco, utrum Ars valeat, quam in his libris Mabillonius institutam voluit. Neque enim si constat multa de vetustis Diplomatibus à clarissimo Viro esse laboriosè, solerter, eruditè collecta; continuo consequens est, institutam esse ab ipso Artem diplomaticam certisque fundamentis substructam. Igitur quoties non erit quæstio de hujusmodi Arte, & solummodo

prædicabuntur celeberrimi Scriptoris vigiliæ, diligentia, ingenium, doctrina, & cæteræ animi dotes : toties laudatoribus ejus me adjungam libens : & quamvis paulo iniquius & acerbius tam ipse, quàm ipsius defensores mecum egerint, non idcirco tamen par pari referam; nec recedam ab eâ urbanitate & observantia, quæ viri meritis & laboribus præcipuè debetur, & quæ homines religiosos inter se disceptantes semper decet. Verum modestiæ & urbanitatis finibus dum me concludo, non ideo patiar detrahi quicquam veritati. Et quia ad veritatem consequendam illud præ cæteris conducit, ut quod in quæstione positum est, animo præsens obversetur : ignoscat Lector, si Adversarios à quæstione sensim divertentes, il-

luc sæpius & importunè revocem. Hoc unum ergo agitur, utrum traditæ in libris *de re diplomatica* regulæ judicandi vera & falsa diplomata firmæ sint & certæ.

Gemina causa est, propter quam istæ regulæ visæ sunt mihi non habere illam, quam debent, firmitatem. 1. Haustæ sunt ex fontibus, quos non satis liquido constat puros esse ac integros. 2. Describunt illæ diplomata vera coloribus, qui spuriis etiam instrumentis conveniunt. Hæc duo sunt, quæ meis Disceptationibus evincere conatus sum.

I. Mabillonianas regulas haustas esse ex fontibus, quos non satis liquido constat puros esse ac integros sic demonstravi. Haustæ sunt illæ omnes, aut fere omnes, ex quibusdam vetustis diploma-

tibus, quæ ab erudito Auctore vel æri incisa in libro quinto, vel exscripta in sexto proponuntur, tanquam certa indubitatorum autographorum specimina; hoc ipsum apud Adversarios in confesso est. Atqui non satis liquido constat specimina illa syncera esse & genuina. Syncera quidem & sine nævo Mabillonius putat & præsumit: verum quis dicat homini novam Artem diplomaticam meditanti & instruenti, satis esse præsumptam opinionem de illorum veritate diplomatum, quibus totius Artis cardo vertitur? Sufficit quidem litigantibus in foro præsumptio illa, qua vera censentur instrumenta, quæ non sunt convicta falsi; quia Judices, ubi in certam veritatis notitiam venire non possunt, tenentur litem decidere ex opinione

præsumpta. At hominis Artem diplomaticam profitentis conditio non est eadem, quæ Judicis. Tenetur ille certam facere speciminum veritatem, ad quorum normam statuit veritatem esse judicandam. Ni faciat, vacillat Ars ejus,& ruit tota.

Igitur diplomaticæ Artis magister interrogatus, quàm firma sit veritas chartarum illarum, quibus tanquam fundamentis Artem suam imponit, non satisfacit, si affirmet nullum in his à se deprehensum esse nævum;nec simul argumenta subjiciat,quibus nullum reipsa in his nævum esse constet. Quid enim ,si in his nævus lateat, qui docentis oculos fugerit, sed quem alii postea perspiciant oculi? Nam quoties contigit, ut quæ anterior ætas syncera putaverat diplomata, ætas posterior adul-

terina

terina eſſe agnoverit? In his quæ Dubletus edidit, nullum ipſe vitium obſervaverat: in plurimis tamen vitia ſuberant immania. Eruditiſſimus Papebrochius, & doctrina cum paucis conferendus, exiſtimaverat ſine nævo Dagobertinum Eccleſiæ Trevirenſis diploma, in quo tamen Mabillonius hac in re oculatior nævum non unicum deprehendit. Uſque adeo certum eſt, progreſſu temporis in vetuſtioribus chartis vitia detegi, quæ antea latuerant.

Quæ cùm ita ſint, certa & inconcuſſa cenſeri non debet alicujus chartæ veritas, etiamſi nihil iſti objiciatur, aut ab objectis vitiis fuerit expurgata. Nec debet charta aliqua proponi tanquam regula judicandi veri & falſi, quin prius ejus veritas certiſſimis ſignis innotuerit. Signa autem il-

la ſunt : 1. Si non modo charta videatur eſſe ſine nævo, ſed ipſi præterea tabularia publica ſuffragentur : 2. Si plura ejuſdem Principis vel Referendarii manu obſignata diplomata & in diſſitis locis aſſervata inter ſe componantur, in iiſque eadem manus, idem ſigillum, eadem ſcribendi forma, idem ſtylus, idem ritus obſervetur: 3. Si eadem cum ſpuriis collata, ab his diſſideant. Sed quid iſta proſequor? Non impugnantis eſt, ſed inſtituentis Artem diplomaticam, ſigna definire, quæ certo nos poſſint in veritatis cognitionem deducere. Hoc unum nunc volo : vacillantibus fundamentis ſuperpoſitam fuiſſe Artem Mabillonianam, cum innitatur tota vetuſtis quibuſdam ſpeciminibus, quorum veritas ab erudito Auctore præſumpta eſt, non demonſtrata.

His animadverſis, manifeſtum eſt Artem illam defendi non poſſe & fulciri, niſi ab eo qui ſuppleat quod Mabillonius omiſit, & firmiſſimis argumentis probet vera eſſe ſpecimina illa, ex quibus regulas ſuas omnes Mabillonius eruit. Nihil, aut parum admodum efficient Adverſarii, nihil obtinebunt, quandiu caput iſtud diſputationis noſtræ diſſimulabunt & prætermittent.

Jam verò ut ad Ruinartium veniamus: præcipuum iſtud controverſiæ caput ne attigit quidem: & quanquam anguſtis unius Mabilloniani ſpeciminis finibus defenſionem ſuam contraxit: non potuit tamen, aut certè neglexit, vel hujus ſaltem ſpeciminis veritatem aliquot probationibus *poſitivis*, ut vocant, certam facere. Nihil ultra actionem negatoriam ten-

tat, totusque in eo est, ut argumenta, quibus Vandemiris & Erchambertæ chartam impugnavi, singula diligenter excussa repellat. Quod si fatear ab eo factum ingeniose & plane confectum, non multum inde Mabillonius percipiet adjumenti; neque enim ad vindicandam ejus Artem satis est, si specimina, quibus illa fulcitur, actione dumtaxat negatoria defendantur, nec alio probationum genere firmentur.

II. Mabillonianæ Artis vitium alterum est, quòd veris diplomatibus characterem illum tribuat, qui spuriis etiam convenit: quod unâ hac ratiocinatione breviter demonstrari potest. Character ille, quem Mabillonius putat esse proprium solius veritatis, in his saltem elucet diploma-

tibus, quæ in libro quinto & sexto *de re diplomatica* collecta sunt; alioquin non exhiberentur nobis ut certa indubitatorum Autographorum specimina. Atqui ex his speciminibus spuria sunt non pauca; idque de aliquot saltem me evicisse confido. Ergo character ille quem Mabillonius verorum Diplomatum proprium esse definivit, convenit aliquot saltem instrumentis spuriis, atque adeo nullus est & invalidus ad secernenda antiqua diplomata vera à falsis.

Qui ab eâ accusatione Mabillonianam Artem vult plane vindicatam: debet ille non specimen unicum ex his quæ impugnavi, sed singula tueri & vindicare. Nam si vel unum manet convictum falsi, nec purgatum; cùm idem in isto ac in cæteris chara-

cter reluceat, certum erit, quod dicebam modo, non alium à Mabillonio veris diplomatibus characterem tribui, quam qui quibusdam spuriis convenit. Hoc autem si ita sit, nullo in loco habenda erit nova Ars diplomatica, nullæ erunt regulæ ex quibus illa coalescit. Quæ cùm plana sint & manifesta: miror quomodo Ruinartius in animum induxerit, Sodalis sui causam à se egregie adjutam esse & promotam, si vel unum ex ejus speciminibus tueretur. Esto enim, concedamus ab erudito Viro id omne esse effectum quod intendit: hoc ipsi demus, quod unum aggreditur, Vandemiris & Erchambertæ chartam temere à me postulatam esse falsi, nec satis firma fuisse quæcumque huic opposui argumenta: quid tum? An si semel erraverim,

inde conſequens eſt, me veritatem nunquam eſſe conſecutum? At ſi vel ſemel illam ſum conſecutus, ſi vel unum ex Mabillonii ſpeciminibus ſpurium eſt, ruit Ars ejus, & cauſam obtineo. Si eodem argumenti genere ſingula Mabillonii inſtrumenta eſſent à me impugnata, Adverſario facile concederem, quod uno vindicato cætera pariter eſſent vindicata. Sed cum propriis ſingula telis impetantur, propriam ſingula debent habere defenſionem; nec qui unum purgavit, cætera pariter purgaſſe cenſendus eſt.

At fortaſſe quis dicat, tam facile ab erudito Viro omnia, quàm iſtud unum excuſari potuiſſe; atque adeo licitum eſſe ex ſpeciali hujus defenſione de cæteris quodammodo præjudicare. Si licet hîc præjudiciis indulgere, adver-

ſabuntur illa Ruinartio, non mihi. Quis enim ſibi perſuadeat Virum eruditum, unico ſpecimine ſelecto, cætera fuiſſe ſilentio prætermiſſurum, ſi putaſſet omnia poſſe pari ratione & ſucceſſu defendi? Certè chartæ unius præ cæteris vindiciæ non aliam ob cauſam ſuſceptæ ſunt, quam quia facilior hujus quàm cæterarum defenſio viſa eſt & probabilior. Neque ſimile vero eſt, Adverſarium prætergreſſurum eſſe illa omnia diplomata, quæ ſeptem primis Diſceptationum mearum capitibus examinata ſunt, niſi exiſtimaſſet id, quod habetur octavo capite, uberiorem locum dare defenſioni. Ut ut eſt, nemo non fateatur fieri poſſe, ut quamvis infirma ſint argumenta, quibus charta una impugnata eſt, firma tamen maneant & incon-

cuſſa, quæ aliis chartis objecta ſunt. Quo admiſſo colligitur, Mabillonii cauſam non multum à Ruinartio adjuvari, qui inter tot diplomata quæ poſtulata ſunt falſi, unicum ſelegerit quod defenderet.

III. Oſtenſum eſt nihil eſſe admodum cur ſibi Mabillonius plaudat, etiam ſi ultrò conceſſerim à Sodali ejus id omne effectum eſſe quod voluit: quid autem, ſi ne iſtud quidem effectum eſt? Quid, ſi rationes quibus argumenta mea confutare nititur, contrariis rationibus revinci & diſſolvi poſſunt, ut ſane poſſunt, quemadmodum mox erit manifeſtum? quanquam mens non eſt ſingula minutatim proſequi, & fruſtra mea & Lectoris tempora morari in iis excutiendis, quæ verane ſint, an falſa non

magni intereſt. Rem ſtatim aggredior.

Exhibet Mabillonius in libris *de re diplomatica*, eductam ex Archivo Sandionyſiano Vandemiris & Erchambertæ uxoris ejus chartam ſeu teſtamentum, quo ambo conjuges viginti ſeptem villas variis Eccleſiis & Monaſteriis donant : cujus chartæ duo uno tenore ſcripta ſunt exemplaria, ut modò dicebam, unum ab ipſis Vandemire & Erchamberta ſervandum, alterum in Eccleſiæ Pariſienſis tabulario recondendum ; neutrum autem, cùm charta primum facta eſt, fuerat Archivo Sandionyſiano deſtinatum : quo autem caſu alterutrum fuerit poſtea in Archivum iſtud deportatum, nihil attinet inquirere. Verum ad Artem Mabillonianam ſive ſtabiliendam ſive convel-

lendam, non parvi intereſt reſcire, ſpuriumne ſit, an genuinum, & tam certo genuinum, ut pro indubitatorum Autographorum ſpecimine venditari poſſit. Tria autem ſunt à me obſervata, quæ mihi videntur chartam aut ſpuriam probare, aut ſaltem facere ſuſpectam. Primum: in ea Audcharius, ſive Autharius Abbas dicitur præfuiſſe Monaſterio Sancti Vincentii, quod nunc eſt Sancti Germani à pratis, regnante Theodorico Chlodovei ſecundi filio: hoc autem falſum puto, aut valde incertum. Alterum: in eadem charta Baſilica Sancti Vincentii jam tum appellatur Baſilica Sancti Germani, quod nomen contendo nobili Baſilicæ datum non fuiſſe ante Pipini tempora, cùm in illam Sancti Germani reliquiæ ex oratorio ſancti Sympho-

riani translatæ sunt. Tertium: in eadem fit mentio dicatæ Parisiis Sancto Germano Altisiodorensi Episcopo Basilicæ, quæ nonnisi subsequentibus sæculis condita est. Hæc sunt argumenta quibus indubitatam chartæ illius veritatem oppugnavi. Quibus argumentis Ruinartius planè satisfecerit, nec ne, nunc est inquirendum.

CAPUT III.

De primo argumento, propter quod Vandemiris & Erchambertæ charta in suspicionem vocata est.

REgnante Theodorico Clodovei secundi filio, Autharium Abbatem Monasterio S. Vincentii præfuisse non planè nego: sed dico istud saltem incertum esse. Rem autem illam dubiam esse & incertam sic demonstravi.

I. In-

I. Inter Abbates San-Germanenses unicus hactenus numeratus est Autharius.

II. Veteres San-Germanensis Monasterii Indices ante quingentos annos scripti, docent Autharium primum hujusce loci Abbatem fuisse.

III. Monachus ille San-Germanensis, qui Aimoini Historiam exeunte duodecimo sæculo interpolavit, cum his Indicibus consentit, & testatur * *ædificatâ & multis prædiis & ornamentis ditatâ Ecclesiâ* (Sancti Vincentii) *Abbatem ibi* (á Childeberto primo) *constitutum esse Autharium nomine, magnæ nobilitatis virum, qui præesset ibi Deo famulantibus.*

* *Aim* apud *Breul.* p. 61.

IV. Id ipsum idem Scriptor confirmat his verbis *: *defuncto Authario, Sancti Germani cœno-*

* *Pag.* 72.

bii primo Abbate, venerabilis Vir Droctoveus, ex discipulis videlicet beatissimi Germani, ab eodem Sancto Pontifice, annuente gloriosissimo Clotario Rege, loco ejus subrogatur.

V. Alium autem Autharium Cœnobio Sancti Germani præfuisse anno 17. Theodorici Regis idem Anonymus Monachus satis apertè negat, cum ait Sigofrido, qui Theodorico regnum ineunte Abbas erat San-germanensis, successisse * Sanctum Babolenum, Sancto Baboleno * Childeramnum, Childeramno * Hunfridum, Hunfrido * autem sub Clodoveo tertio Theodorici filio Gaudremarum; ita ut nullus sub regno Theodorici Authario locus relinquatur.

* *Pag. 188.*
* *Pag. 189.*
* *Ibid.*
* *Ibid.*

VI. Possem vetustis Indicibus & Anonymo Aimoini interpola-

tori adjungere Aimoini Editorem Breulium, qui & ipse Monachus fuit San-Germanensis. Is enim de Authario hæc annotata voluit*: *iste Autharius fuerat antea Heduæ sive Augustoduni, in cænobio Sancti Symphoriani martyris Prior, sub beato Germano Abbate & postea Parrhisiorum Antistite; quem ut sibi notissimum & tali regimine dignum, curavit huic novæ plantationi per Childebertum Regem præfici.* Quæ à religioso Viro temere & per divinationem scripta esse non facile crediderim: similius vero est reperta in antiquis Monasterii monumentis. Quia tamen Breulius recentior est, nec fontes indicat, unde hanc suam annotationem hauserit, satius videtur ejus testimonio non uti, præsertim cùm majoris auctoritatis ac fidei testes

* *Aim. p.* 61.

alii non desinat. Sed non est omittenda ratio, eaque gravissima, qua istorum testimonium confirmari potest.

VII. Sanctum Droctoveum non esse creatum Monasterii Vincentiani Abbatem ante obitum Childeberti in confesso est apud omnes; & ipse docet Ruinartius. Idem fatetur, vivente Childeberto, jam tum fuisse in Monasterio Vincentiano Monachos, qui certè ibi non vixerunt sine Prælato. Prælatus autem ille alius esse non potest quàm Autharius. Igitur verum est quod Anonymus scripsit, Autharium regnante Childeberto primo Monasterii San-Germanensis primum Abbatem constitutum fuisse.

His omnibus quid Ruinartius respondet? An geminum ait Monasterio suo præfuisse Autharium,

unum Childeberti primi temporibus, alterum regnante Theodorico Clodovei ſecundi filio ? Minimè : unicum inter Abbates Monaſterii San-Germanenſis numerari debere Autharium non inficiatur. Negatne Authario primum locum tribui in vetuſtis Monaſterii Indicibus ? Iſtud * Mabillonius diſertè docuerat, nec Ruinartius in dubium revocare auſus eſt. An fortè, quæ de Anonymo Aimoini Interpolatore habentur in Diſceptationibus meis, aut parum fideliter exſcripta ſunt, aut in alienum ſenſum detorta ? Neutrum Ruinartius exprobrat. Fuſè quidem illa exponit, quæ in Diſceptatione ſecunda emendaveram, & jure emendata fuiſſe probat : Anonymi autem ſcriptoris teſtimonium favere mihi ultro confitetur. Quid

** Lib. 6 de re dipl. p. 461.*

ergo reponit? Hoc unum scilicet; Gislemaro, quem & ipse mihi opposueram, credendum esse potius quàm vetustis Monasterii Indicibus & Anonymo Aimoini Interpolatori Monacho San-Germanensi.

Ac primo istud sedulò velim animadverti, in confesso esse & in aperto positum, quod pugnent inter se, hinc vetusti Indices & Monachus San-Germanensis Aimoini Interpolator; inde scriptor vitæ Sancti Droctovei Gislemarus: in Indicibus quidem & apud Anonymum Monachum Authario, apud Gislemarum autem S. Droctoveo primum inter Abbates San-Germanenses locum assignari. Hoc autem si semel conceditur, habeo id omne quod intenderam; nempe incertum esse, an Autharius Monasterio suo

præfuerit Theodorici temporibus potius quàm Childeberti; incertum enim factum censetur, de quo Scriptores antiqui non consentiunt.

Secundò istud etiam observatione dignum; à Gislemaro hoc unum dici, quod *piissimus Vir Droctoveus à Beato Germano primus Abbas delectus sit.* Quæ verba sic accipi possunt, ut intelligatur Sanctus Droctoveus Monasterio Vincentiano primus præfuisse post absolutum Monasterii ædificium & ædificatam Basilicam, nulla habita ratione Autharii, quem consultò prætermissum suspicor, tum quia prima tantum vidit Monasterii rudimenta, cùm illius nulla adhuc certa esset forma; tum quia pulchrius est & honorificentius originem Monasterii à Sancto Droctoveo

repetere, quam ab Authario qui in album Sanctorum non est relatus.

Tertiò, si negat Adversarius hâc viâ Gislemarum cum Anonymo conciliari posse; huc saltem tota recidet quæstio, uter alteri sit anteponendus, Anonymusne cui veteres Monasterii sui Indices consentiunt, an Gislemarus qui non tantum Anonymo Sodali suo, sed & veteribus Monasterii sui Indicibus contradicit. Anteponendum Gislemarum Ruinartius ait: ego postponendum. Anteponendum autem probat, 1. quia nomen ejus cognitum: 2. quia antiquior: 3. quia quod refert hauserat ex antiquis & domesticis monumentis, aut ex probis auctoribus: 4. quia vir fuit pro tempore diligens & optimi judicii. Contra ego conten-

do falsa esse hæc omnia, si primum excipias, quod si verum sit, non magnum Scriptoris illius auctoritati pondus addere potest.

I. Ait ergo Ruinartius ejus qui Sancti Droctovei vitam scripsit, nomen esse cognitum; simulque exprobrat quod illum * *auctorem passim, appellaverim Anonymum*: *passim*, hoc est in prima Disceptatione mea; nam in secunda ipsum proprio nomine Gislemarum sæpius appellavi, nunquam Anonymum. Dixeram autem Anonymum in prima, quia cùm Sancti Droctovei vitam legissem apud Mabillonium, qui illam edidit: observassemque hujus vitæ auctorem ab erudito editore Anonymum vocari, rem penitius investigare neglexeram; quippe sperabam, si quid in eo foret peccati, à Mabillonio qui prior idem

* Pag. 29.

peccasset, facile condonatum iri. Et condonavit etiam, ut puto. At Sodalis ejus non condonat: quamquam hoc ipsum quod arguit, emendatum erat in secunda Disceptatione mea, in qua vitæ Sancti Droctovei scriptorem semper nominavi Gislemarum: quod quidem miror à viro æquissimo potuisse dissimulari. Miror magis, quod existimaverit Vir doctus magnam Gislemaro auctoritatem ex eo accessisse, quod nomen ejus jam sit cognitum. Equidem censeo Historicum qui sit incerti nominis & temporis, cæteris paribus, esse postponendum illi cujus nomen & ætas cognita est. At si duo inter se componantur Historici, uniusque nomen cognitum sit, ætas incerta; alterius certa ætas, ignotum nomen: neminem esse puto qui an-

ceps hæreat, quique non malit Hiſtorici nomen manere obſcurum, quam ætatem.

Nunc prudentis Lectoris judicium ſit, utri potius habenda ſit fides; an Monacho San-Germanenſi, qui ſcripſit Sancti Droctovei vitam; an alteri San-Germanenſi Monacho, qui res ad Monaſterium ſuum ſpectantes Hiſtoriæ Aimoini inſeruit. Prioris cognitum nomen, poſterioris ignotum ultro concedimus: at hunc vixiſſe duodecimo ſæculo exeunte in confeſſo eſt; de alio mox demonſtraturi ſumus, quod ſit altero recentior, nec poſſit ejus ætas certo definiri.

II. Giſlemarus, * *ſub finem ſæculi noni aut ſequentis initio floruit*: ita Ruinartius. Sed *mirum eſt*, ut ipſius verbis utar, * *hæc adeo confidenter proferri: at eum* * Pag. 38. * Pag. 203

excusat necessitas causam penitus desperatam, quoquo acmum modo valet, tuendi. Et vero cùm Mabillonius Sancti Droctovei vitam edidit, Auctoris ætatem nonnisi timide & dubitanter libri titulo subjunxit his verbis : * *qui Auctor ibidem* (in Monasterio Pratensi scilicet) *sæculo nono vixisse videtur ex numero 9.* Ubi duo observanda sunt : primum vocem, *videtur,* dubitantis esse, non aientis. At progressu temporis Ruinartius, liceat enim Adversarii dicta in ipsum retorquere, * *factus audacior, ad conciliandam homini, qui causæ suæ adeo necessarius est, auctoritatem, ex se ipso absolutè pronunciat,* * *Gislemarum sub finem sæculi noni aut sequentis initio floruisse.* Alterum, quod observo, istud est : nempe aut mendum irrepsisse vitio typographi, aut

* *Acta S. Bened. sæc. 1. p. 252.*

* *Pag. 19. & 20.*

* *Pag. 30.*

aut Mabillonium præter mentem ſuam ſcripſiſſe numerum nonum pro undecimo. Quippe certum eſt in numero nono nihil prorſus legi, unde illius qui Sancti Droctovei vitam ſcripſit, ætas vel per conjecturam divinari poſſit: habentur autem numero undecimo nonnulla, quæ nunc paulò fuſius ſunt examinanda.

Giſlemarus ergo poſtquam Childeberti Regis in extruenda Monaſterii Sancti Vincentii Baſilica magnificentiam laudavit, numero undecimo ſic loquitur: *his ita prælibatis de pulchritudine miri operis Eccleſiæ noſtræ, quæ poſtea peccatis exigentibus, non ſemel, ſed bis incendio pænè diſperiit Danorum tempore, proſequamur reliqua*..... Ex quo loco Mabillonius in notis rectè colligit, vitæ Sancti Droctovei ſcrip-

torem nonnisi post secundum Basilicæ incendium floruisse: primum autem contigerat anno Christi 853. alterum vero non nisi anno 886 accidit: igitur manifestum est Scriptorem hunc non floruisse ante finem noni sæculi. Verum etsi Gislemarus ipse significet se non scripsisse ante secundum Basilicæ Vincentianæ incendium; male tamen quis ex loco, quem recitavimus, colligat ipsum scripsisse statim post illud incendium. Ait Ecclesiam Monasterii sui *non semel, sed bis incendio pœnè disperiisse Danorum tempore*: quo loquendi modo videtur indicare tempora illa à suis esse remota: certe nullo pactoinnuit se miserrimorum illorum temporum æqualem fuisse aut vicinum. Quid Monasterii sui Ecclesia ab impio Danorum furore perpessa sit, re-

fert : quo illa in ſtatu fuerit ætate ſua non ſignificat. Gratis ergo & nullo prorſus fundamento ex modò citatis verbis conjicitur Giſlemarum *ſub finem noni ſæculi aut ſequentis initio floruiſſe.*

Contra vero Auctorem temporibus iſtis multo poſteriorem eſſe, multiplici argumento probari poteſt. Primo hæc ejus verba ſunt : * *ſed ne quiſpiam refragetur huic noſtro operi, cum non perpendit ibidem digeſta miracula Sancti; quia cum liber vitæ ejus, ut dixi, incendio crematus ſit, longo ſenio ævi ejus geſta tradita oblivioni, nullum penitus memoriale ſui noſtræ mandavere ætati.* Quibus verbis excuſat ſe Giſlemarus, quod facta à Sancto Droctoveo miracula non commemoret : aitque hujus ævi geſta longo ſenio ſic eſſe tradita oblivio-

* *Num. 2.*

ni, ut nulla penitus iſtorum memoria ætate ſua extiterit: cujus tantæ oblivionis hanc unam cauſam affert, quod *liber Vitæ S. Droctovci incendio crematus ſit.* Unde manifeſtè ſequitur, quemadmodum exiſtimo, ab hujus incendii tempore ad ætatem Giſlemari non paucos aliquot, ſed bene multos annos effluxiſſe. Nam paucis aliquot annis non potuit perire penitus memoria geſtorum Sancti Droctovei: quippe quamvis abſumpto ignibus libro vitæ ejus, tamen poſt incendium ſuperfuerunt Monachi qui vitam Sancti Droctovei Abbatis ſui olim legiſſent: quis enim iſtud neget? Hi certe memoriam aliquam miraculorum ejus conſervarunt, & conſervatam ſucceſſoribus tranſmiſerunt: tranſmiſſam aliquandiu perſeveraſſe, & nonniſi poſt longi

temporis intervallum penitus esse extinctam simillimum vero est; sic enim fit in rebus humanis. Cùm ergo Gislemarus disertè affirmet, quando opus suum scripsit, memoriam miraculorum Sancti Droctovei jam omnino consenuisse, & penitus fuisse deletam; ipsum paucis annis postquam liber vitæ Sancti Droctovei incendio crematus est, scripsisse quis credat?

Præterea idem Auctor descriptâ primæ Monasterii sui Basilicæ magnificentiâ, ait:* *præ nimio decore, non immerito olim ipsam domum per metaphoram Inaurati Germani aulam vocatam fuisse vulgi ore*: moxque ista subjungit,* *Sed ne quis incredulus existat nostræ assertioni, proferamus in medium quid de hac domo disertissimus Fortunatus in suis opus-*

* *Num.* 10.

* *Num.* 11.

culis ediderit. Ubi sic argumentari licet. Splendida *Inaurati Germani aula* perseveravit saltem usque ad primum hujus incendium, quod teste ipso Mabillonio contigit anno Christi 853. triginta tribus annis ante secundum. Quare quotquot anno 886. & annis proxime sequentibus supererant Parisiis senes, aut viri quadragenario majores, viderant omnes splendidam *Inaurati Germani aulam.* Si ergo Gislemarus hac ipsa ætate scripsit, cur timet *ne quis incredulus existat suæ assertioni,* cujus sciret testes oculatos plurimos etiamnum esse superstites? cur id metuens non appellat præsentes testes, sed à remotissimis temporibus testem advocat Fortunatum, magnæ quidem auctoritatis virum, sed qui id non dicat, quod ipsi affingitur? Certe

non ita ſe geſſit Abbo & ipſe San-Germanenſis Monachus iſtorum temporum æqualis, qui de Erveo quodam rem omni fide majorem referens, non teſtem è longinquo accerſit, ſed ita loquitur: *

Nemo meis ſuper hoc dictis inſurgere bello.

Decertet: ſiquidem nemo nil verius ullus

Expediet, quoniam propriis obtutibus hauſi:

Sic etiam nobis retulit, qui interfuit ipſe,

Atque natando truces gladios evadere quivit.

* *Lib. 1. de Obſ. Lute. ſub finem.*

Debuerat pariter Giſlemarus ſplendorem veteris Baſilicæ Vincentianæ & ſuo & cæterorum qui viderant teſtimonio firmare, ſi verum eſſet ipſum ſtatim poſt ſecundum hujus Baſilicæ incendium ſcripſiſſe. Sed quia diu poſt

illa tempora vixit, ideo nullum appellavit testem qui viderit, sed aliquot Fortunati versus ad rem suam, ut potuit, accommodavit.

At illius ævi Auctoribus familiare istud est, si Ruinartio credimus, * ut de rebus etiam suo tempore gestis loquantur, quasi multo ante ætatem suam factæ sint. Ejus rei domesticum exemplum, inquit, suppeditat syncerus Aimoinus, qui res à Normannis sub Caroli Calvi regni initium, id est, anno 846. narrans, ita loquitur : *hæc priscorum temporibus Danorum, Ragenarii &c..... Et ipse tamen tunc vivebat.....* Hactenus Ruinartius. Qui ignoscat velim, si ipsum à vero Aimoini sensu aberrantem iisdem verbis redarguo, quibus me ipse hoc in loco injustè reprehendit. Synceri

* Pag. 25.

igitur Aimoini exemplo vir eruditus *nihil aliud evincit*, ipsius verbis utor, * *quam se in domesticis scriptoribus laudandis, quod quidem pace ejus dixerim, parum diligentem esse & accuratum.* Enimvero quando duos de miraculis S. Germani libros scripsit Aimoinus Pratensis, Dani sive Normanni celebre Sancti Germani Monasterium jam bis, ut minimum, diripuerant; semel anno 845. vel 846. iterum anno 853. Quod cùm ita sit, mirumne est quod Aimoinus primæ direptionis auctores Danos priscos vocet, ut illos ab aliis Danis secernat, qui subsequentibus annis Monasterium suum secundo vel etiam tertio diripuerant? At mirum esset prorsus si Gislemarus ea narrans quæ oculis viderant quotquot tunc erant Parisiis viri quadragenario ma-

* Pag. 25.

jores, timeret *ne quis incredulus existeret suæ assertioni* : & id timens, nonnisi ambiguo & prave detorto Fortunati testimonio muniret. Mirum magis, si paucis admodum annis post crematum librum vitæ Sancti Droctovei, nulla penitus apud Monachos Pratenses extitisset memoria eorum quæ libro hoc continebantur. Atque ex his constat, ut reor, Gislemarum nec sub sæculi noni finem, nec decimi initio floruisse. Addo etiam, Interpolatore Aimoini Monacho Pratensi ipsum esse posteriorem.

Vitæ Sancti Droctovei Scriptor sic numero secundo loquitur: *Addidi propterea etiam illud, quo videlicet instinctu nostrum à gloriosissimo Rege Childeberto sit fundatum Cœnobium, quia hoc reperitur in gestis Francorum.* Desi-

gnari his postremis verbis dixeram interpolatos Aimoini libros, quibus titulus iste præfixus legitur, *Gesta Francorum.* Tricas hìc Adversarius movet; & in genuinis Aimoini libris verba hæc, *Gesta Francorum* exhiberi ait: quod ego nunquam negavi. Hoc unum affirmo, quod nemo possit in dubium revocare, titulum hunc *Gesta Francorum* haberi in Aimoino interpolato, cùm genuini Aimoini opus inscriptum sit, *Historia Francorum.* Sed quid ejusmodi tricis immoror? Alia præter libri titulum momenta sunt graviora, quibus demonstrem citari hìc à Gislemaro interpolatos Aimoini libros.

Gislemari verba expendamus: *Addidi*, inquit, quo INSTINCTU *nostrum à Childeberto sit fundatum cœnobium, quia hoc reperi-*

tur in Gestis Francorum. Citata hoc in loco *Gesta Francorum* illa sunt certè, in quibus unis Auctor exponit QUO INSTINCTU Vincentianam Ecclesiam Childebertus ædificaverit. Atqui Aimoini Interpolator antequam Childeberti *Pragmaticum*, ut loquitur, integrum referat, hæc habet verba : *quam (beati Vincentii) Ecclesiam quomodo & QUO INSTINCTU eam ædificare cœperit (Childebertus) pragmaticum ejus ita designat :* atque inter Auctores plurimos, qui de prima Basilicæ Vincentianæ ædificatione scripserunt, solus quem legerim, Aimoini Interpolator hoc in se suscepit, ut exponat QUO INSTINCTU illa fundata sit & ædificata. Igitur citata à Gislemaro *Gesta Francorum*, illa ipsa sunt quæ interpolatis Aimoini libris continentur.

De-

Deinde idem Giſlemarus refert Vincentianam Eccleſiam conditam fuiſſe in illo ſuburbiorum Pariſienſium loco, qui olim nuncupabatur *Lucotitius*. Locum hunc reipſa appellatum eſſe *Lucotitium* ſignificat Childeberti Pragmaticum : quod integrum ab Interpolatore Aimoini exſcribitur. De iſta autem ſingulari hujus loci denominatione nihil apud Gregorium Turonenſem, nihil apud Anonymum, qui Theodorico Calenſi regnante *Geſta Francorum* ſcripſit. Poſſem alia adhuc hujuſmodi exempla proferre ; ſed hæc pauca ſufficiunt, ut evincam inter *Geſta Francorum*, quæ à Giſlemaro lecta eſſe conſtat, illa annumerari debere quæ ab Interpolatore Aimoini adornata ſunt. Quod cum aſſevero, abſit ut idcirco negem, lectum

ab illo Gregorium Turonensem & alios antiquiores Historiæ Francorum Scriptores : manifestum est enim ab eo anteriores Historicos consuli potuisse, à quo posteriores consultos esse constat. Sed cùm Gislemarus testetur ex *Gestis Francorum* hausta esse, quæ de primis Monasterii sui incunabulis refert ; in hisque nonnulla sint, quæ nonnisi apud Aimoini Interpolatorem reperiantur ; necessario fatendum est lecta esse à Gislemaro illa *Francorum Gesta*, quæ interpolatis Aimoini libris continentur. Itaque certum est quod contendebam, Gislemarum esse Aimoini Interpolatore posteriorem.

Unum est quod opponat Ruinartius:nempe codicem in quo reperitur Sancti Droctovei vita, antiquiorem esse autographo Inter-

polatoris; atque hoc ex comparatione inter utrumque facta colligi. Ad dijudicandam Auctoris ætatem utilis esse potest facta ex scripturarum comparatione conjectura. At fatebitur, ni fallor, Adversarius, ejusmodi conjecturam fallacem esse & multiplici errori obnoxiam, cum sola est, nec aliis argumentis suffulta; esse autem prorsus rejiciendam, quoties severioris criticæ legibus repugnat. Frustra ergo hîc in medium adducitur, ubi firmiora argumenta suppetunt ad ætatem Gislemari judicandam. Sed institutam inter Aimoini Interpolatorem Anonymum & Gislemarum comparationem prosequamur.

III. Quæ Gislemarus in vita Sancti Droctovei refert, hausta sunt, inquit * Ruinartius, *ex antiquis & domesticis Germanensis* Pag. 30.

Monasterii monumentis, aut ex probis auctoribus, quod mirum est à Germonio fuisse ignoratum, si tamen cognitum non dissimulavit. Auctores aliquot veteres à Gislemaro consultos esse nunquam inficiatus sum: citat enim versiculos à beato Fortunato editos, *Gesta Francorum*, & servatos in Archivis Monasterii sui *tomos antiquissimos.*

Præter hæc quæ modo dixi, alia ab ipso visa esse antiqua & domestica Monasterii Germanensis monumenta, siquis jactat, divinat certè; remque affirmat, quæ nullo argumento probari potest. Cõtrà certum est Anonymum Aimoini Interpolatorem, Monasterii sui scrinia diligenter excussisse, inspectisque instrumentis singulos Abbates ordine ac suo quosque tempore digessisse. Verùm

hoc ipſum quod certum eſſe dico, Ruinartius falſum eſſe contendit. *Mirum eſt*, ait*, *hæc adeo confidenter ab adverſario proferri: at eum excuſat neceſſitas cauſam penitus deſperatam quoquo modo valet, tuendi.* At multò magis mirum eſt à viro religioſo tam contumelioſè redargui locum, in quo nihil niſi verè dictum eſt, nihil ſcriptum quod probari & quaſi oculis ſubjici non poſſit. Quidni enim Monaſterii San-Germanenſis ſcrinia ab Anonymo Monacho Aimoini Interpolatore diligenter excuſſa dicantur, cùm non modo laudaverit * ab Ultrogotha Regina, Crothberga, & Crothſinda factam eo die quo Baſilica dedicata eſt, donationem, & ſcripto corroboratam: ſed etiam exſcripſerit integra & recitaverit, Childeberti pri-

* *Pag.* 20.

* *Pag.* 67.

mi [a] Pragmaticum, ut vocant, S. Germani [b] privilegium, [c] Testamentum Dagoberti, Pipini [d] diploma de villa Palatiolo, Caroli Magni privilegia [e] duo, Ludovici pii & Lotharii ejus filii [f] Imperatorum Edictum, Pipini Aquitaniæ [g] Regis, Caroli [h] Calvi ac Caroli [i] simplicis diplomata varia? Quæ omnia qui legit, qui eruit è tabulariorum latebris & exscripsit: is certè Monasterii sui scrinia inspexisse & excussisse diligenter censendus est. Quare desinat Adversarius mirari, quòd id adeo confidenter proferam: ut proferam confidenter, manifesta suadet veritas, non compellit *necessitas causam penitus desperatam tuendi.*

[a] Pag. 56. [b] Pag. 75. [c] Pag. 176. [d] Pag. 199. [e] P. 263. 265. [f] Pag 280. [g] Pag. 298. [h] Pag. 332. [i] Pag. 350.

Instat Ruinartius & mirari pergit. *Chartas*, inquit, * *pro libito perire & reviviscere jubet Germonius, adeo ut si quæ illi ad*

* Pag. 11.

anguſtias redacto favere videantur, hoc ipſo pro legitimis debeant admitti : ſin autem, ſpuriæ & nullius auctoritatis reputandæ ſint.

Quod Adverſarius objectat, me *ad anguſtias redactum eſſe, me tueri cauſam penitus deſperatam,* & alia hujuſmodi, quæ nonniſi per contumeliam exprobrantur, nihil moror : moneo tamen, nec ipſius, nec meum, ſed eruditi & æqui Lectoris judicium hoc eſſe debere. Quod vero putat citata ab Anonymo Monacho inſtrumenta à me pró legitimis omnia ſuſcipi ; pace ipſius dixerim, mentem meam non aſſecutus eſt. Inſtrumenta illa ab Anonymo Monacho inſpecta eſſe dixi, legitima eſſe non dixi : nam ut de cæteris ſileam, abſit ut genuina exiſtimem aut Childeberti *Pragmaticum*, aut privilegium Sancti Ger-

mani, quæ ne Mabillonius quidem ſyncera nec interpolata auſit affirmare. At quamvis aliqua vel etiam multa ex his quæ ab Anonymo recenſentur diplomata, vitioſa ſint aut ſuppoſititia: illa ipſa cùm ex tabulario Monaſterii educta ſint, demonſtrant tabularium ab Anonymo luſtratum eſſe & diligenter inſpectum. Deinde quæ in falſis chartis occurrunt Regum & Abbatum nomina, non ſemper falſa ſunt, ſed plerumque vera; quia verſuti chartarum ejuſmodi fabricatores ſolebant chartularia, libros cenſuales, cæteraque Eccleſiarum monumenta conſulere priùs & expendere, quàm chartas confingerent: unde fit ut falſis etiam inſtrumentis inſerta vera nomina ſæpiſſimè reperiantur. Porrò Anonymi Interpolatoris

consensus cum veteribus Monasterii sui Indicibus demonstrat, non modò diligentem fuisse in consulendis Monasterii sui diplomatibus, sed etiam cætera ejusdem monumenta impigre scrutatum esse, ut accuratam ac minime interruptam Abbatum suorum continuationem & seriem nobis exhiberet.

IV. Nunc unum restat, ut examinemus, quod Ruinartius ait:* *Gislemarum virum fuisse pro tempore diligentem & optimi judicii, ut observavit nostræ ætatis auctor severioris censuræ.* Ille severioris censuræ Scriptor hoc in loco ultra modum indulgens fuit, qui Gislemarum dixerit esse diligentem. Quanquam enim vita Sancti Droctovei brevissima est, paucissimaque in ea facta commemorantur: tamen in paucis il-

* Pag. 81.

lis factis enarrandis non semel Gislemarus hallucinatus est. Nam citat ille * pro Ecclesia Monasterii sui, Versus Fortunati inscriptos de *Ecclesia Parisiaca*, quo nomine primariam, seu matricem Ecclesiam plerique designatam volunt, ut ipse annotat Mabillonius. Præterea idem scripsit * *in honorem vivificæ crucis almique Vincentii Levitæ & Martyris Monasterii sui, Ecclesiam anno 559. consecratam esse à beato Germano, adminiculantibus ipsi Nicetio Lugdunensi Archipræsule, Prætextato Cabillonensi Antistite, Euphronio Nivernensi Episcopo, Felice Aurelianensi, Domitiano Carnotino, & Victurio Cenomanico.* Atqui tamen certo certius est anno 559. Cabillonensi Ecclesiæ non præfuisse Prætextatum, sed Sanctum Agricolam: Car-

* Num. 11.

* Num. 103.

notenſis Eccleſiæ non fuiſſe tunc Epiſcopum Domitianum, ſed Chalatricum: Victuriumque Cenomanenſem Epiſcopum jam diu ſupremum diem obiiſſe. Ex quibus aliiſque Giſlemari hallucinationibus ſane conſtat ipſum in veritate inquirenda non fuiſſe admodum diligentem.

Jam vero. Si Giſlemarus nec accuratus eſt, nec alia Monaſterii ſui monumenta vidit præter quoſdam veteres libros; ſi Aimoini Interpolatore poſterior fuit; cur illum anteponamus Anonymo Monacho Aimoini Interpolatori, cujus ſaltem hæc propria laus eſt, quòd domeſtica inſtrumenta plurima viderit & exſcripſerit? Quod ſi nulla idonea ratio excogitari poſſit, cur Giſlemaro Interpolator cedere debeat, incertum eſt igitur, ut in

prima Disceptatione mea contenderam, annon reipsa Autharius regnante Childeberto primo Monasterii Vincentiani Abbas fuerit: atque adeo suspecta erit charta, in qua ille nonnisi sub Theodorico Clodovei secundi filio vixisse dicitur.

CAPUT IV.

De secundo argumento falsi, adversus Vandemiris & Erchambertæ chartam.

VAndemiris & Erchambertæ testamentum datum dicitur anno Theodorici Regis decimo septimo: & tamen Basilica Vincentiana in eo jam tum nominatur *Basilica Domni Germani.* Hæc præcipua ratio est, cur istud instrumentum etiamnum falsum existimem. Mihi enim omnino

nino persuasum est, Basilicæ Vincentianæ non esse superadditum nomen Sancti Germani ante Pipini Regis tempora, cùm venerandi Præsulis corpus ex proximo sacello Sancti Symphoriani in ipsius Ecclesiæ aulam translatum est. Quippe constat Basilicam Vincentianam à Childeberto Clodovei magni filio conditam, consecratam primùm fuisse & dedicatam sub nomine Sanctæ Crucis & Sancti Vincentii. Unde Basilica hæc dicta est Basilica Sanctæ Crucis & Sancti Vincentii. Id veteres Historici tradunt, nec ullus jàm in dubium revocat.

Certum est præterea Sancti Germani sepulchrum non fuisse intra Basilicam, quam ipse consecraverat, positum; sed in Oratorio Sancti Symphoriani Basilicæ

adhærente, ubi Eleutherius & Eusebia parentes ejus fuerant sepulti. Cùm ergo Sancti Præsulis reliquiæ in vicinia quidem nobilis Basilicæ positæ essent, sed tamen extra Basilicam: non videtur, antequam corpus ejus in Basilicam esset illatum, causa ulla fuisse, cur Vincentianæ Basilicæ Sancti Germani nomen superadderetur.

Et verò Gregorius Turonensis, Venantius Fortunatus, Fredegarius, & si qui alii post Sancti Germani mortem ejusdem Basilicæ meminerunt, illam nunquam appellant Basilicam Sancti Germani, sed semper Basilicam Sanctæ Crucis aut Sancti Vincentii, servato primo nomine. Gregorio ac Fredegario consentit anonymus, sed coævus Scriptor Historiæ Translationis San-

cti Germani. Is ante translationem factam, semper Basilicam vocat *Ecclesiam Sancti Vincentii*: translatione facta, eamdem semper vocat *Ecclesiam Sancti Germani*. Quà agendi ratione accuratus Auctor manifeste, ut mihi videtur, demonstrat Vincentianam Basilicam non esse dictam Basilicam Sancti Germani, antequam Sancti Præsulis reliquiæ intra illam reconderentur. Neque vero Ruinartius audet inficiari * *Pratensem Basilicam sub Beati Vincentii potissimum titulo dicatam, eo nomine frequentius quàm alio quovis, apud Auctores antiquos designari: nihilominus contendit priori huic titulo quandoque etiam Beati Germani nomen subjunctum fuisse.* Ejus est qui ita contendit, novum nomen, quod alteri subjunctum fuisse asseverat, * Pag. 44

reperire apud aliquem Auctorem qui scripserit ante Pipini tempora, quemque certò constet non aliam Basilicam quàm Vincentianam, Sancti Germani nomine designasse: meum est eorum, quibus rem suam Adversarius evincere conatur, argumentorum levitatem ostendere.

*Pag. 44.

I. Ait Adversarius * *sexcentis exemplis demonstrari posse*, veteres olim Basilicas eorum Sanctorum nomen accepisse, quorum sepulchris nobilitatæ & miraculis illustratæ fuerant. Hoc equidem fateor: verùm Adversarius etiam fateatur necesse est, non pauciores fortasse numerari Basilicas, quæ aliquorum Sanctorum reliquiis ditatæ, nomen tamen ipsorum nunquam habuerunt. Neque mirum est, quòd in his varius sit & inconstans u-

ſus, cùm ejuſmodi nominum immutationes arbitrio auræ popularis plerumque fiant. Sed quid neceſſe eſt productis à Ruinartio exemplis exempla contraria opponere? cùm exempla hæc Baſilicas ſpectent Sanctorum ſepulchris nobilitatas : certo autem certius ſit Sancti Germani corpus extra Baſilicam Vincentianam fuiſſe uſque ad Pipini Regis tempora.

Ait quidem Ruinartius * *ſepulchrum Beati Antiſtitis fuiſſe in ipſa Baſilica Vincentiana*. Sed credibile eſt iſtud erudito viro per inadvertentiam excidiſſe. Nam & contrarium docuerat * in notis ad Gregorium Turonenſem, & in pagina 47. falſum ipſe fatetur, quod in antecedenti pagina aſſeveraverat. *Fateor quidem*, * inquit, *Beatum Germa-*

* *Pag. 46.*

* *De Glor. Conf. cap.*

* *Pag. 47.*

num in Oratorio Sancti Symphoriani sepultum fuisse. Si in Oratorio Sancti Symphoriani, ergo non intra ipsam Basilicam Sancti Vincentii.

* Ibid. At *illud Oratorium * Basilicæ Vincentianæ erat adjunctum. . . . quod à Germonio potius non lectum, quàm datâ operâ dissimulatum, facilè crediderim.* Quæ postrema verba rursum homini per inadvertentiam excidisse arbitror; nam quod affirmat vel non lectum à me, vel data opera dissimulatum, hoc ipsum disertè in prima Disceptatione mea expressum legitur his verbis : *Sanctus*

* Pag. 205. *Germanus * sepultus est in Sancti Symphoriani sacello, quod ipsi Basilicæ* (Vincentianæ) *cohærebat, & in ipsius porticu erat positum.* Nec semel, sed iterum istud scri-

* Pag. 207. ptum fuit * his aliis verbis : *San-*

ctiſsimi Præſulis reliquiæ fuerant poſt obitum depoſitæ in ſacello Sancti Symphoriani : ſacellum autem cohærebat Baſilicæ Sancti Vincentii, & erat in ejus porticu poſitum. Manifeſtum eſt igitur à me nec ignoratum eſſe, nec diſſimulatum, quod Sancti Symphoriani Oratorium Baſilicæ Vincentianæ fuerit adjunctum.

Iſtud non modo obſervavi, ſed & præterea addidi, quod Mabillonius, quod Ruinartius, quod ipſorum aſſeclæ minime obſervatum vellent, ſacellum Sancti Symphoriani, ubi ſepultus fuit Sanctus Germanus, ſic adhæſiſſe Baſilicæ Vincentianæ, ut tamen extra ipſam eſſet, nec ex illo in hanc aditus pateret. Unde factum eſt ut Sanctiſſimi Epiſcopi corpus ex ſacello in Eccleſiæ aulam inferri non potuerit, niſi *

* *Hiſt. tranſl. S. Germ.*

pariete Ecclesiæ perforato. Quod cùm ita sit, poterat sane, si populo libuisset, sacellum Sancti Symphoriani, ubi Sancti Germani sepulchrum fuit, mutato nomine appellari sacellum Sancti Germani, sed nulla idonea causa afferri potest, cur ipsi Ecclesiæ S. Vincentii superadditum fuisset nomen Sancti Germani.

At Gregorius Turonensis scribit, *Sancti Germani sepulchrum haberi in Basilica Sancti Vincentii.* Id verò mihi ab Adversario miror esse serio objectum. Nam cùm ultrò fateatur Sancti Germani Sepulchrum intra ipsam Basilicæ aulam non fuisse ante Pipini Regis tempora : quid restabat, nisi ut vel Gregorium hoc in loco errasse diceret, vel potius Gregorii verba benigna aliqua interpretatione tempera-

ret? Quanquam non magni mea intereſt, qua ratione Gregorium ille interpretetur; quippe hæc una inter nos quæſtio agitur, an Vincentiana Baſilica ante Pipinum Regem fuerit appellata Baſilica Sancti Germani; Beatiſſimi Antiſtitis ſepulchrum in ea fuerit, necne, non multum refert; ſi modò conſtat venerandam Baſilicam uſque ad Pipini tempora retinuiſſe nomen Sancti Vincentii. Atqui certum eſt veritati illi non modo non repugnare Gregorium Turonenſem, ſed etiam maniſeſte favere. Vincentianam enim Baſilicam cùm ſæpius nominet, ſemper nominat Baſilicam Sancti Vincentii, nunquam Baſilicam Sancti Germani, ne in illo quidem loco, ubi ſcribit Sancti Germani ſepulchrum in ea Baſilica haberi. Quid eſt ergo, cur

Gregorium Turonensem nobis objiciant?

Quod pertinet ad Sanctum Bertichramnum, qui in testamento suo ait, *Sancti Germani corpus requiescere in Basilica Sancti Vincentii* : hoc unum est quod respondeam : si in illo testamento aliquid legitur quod apertæ & utrinque confessæ veritati adversetur, istud non nocere cognitæ veritati, sed ipsi testamento falsi notam aut suspicionem aspergere.

II. Postquam demonstrassem Beati Germani reliquias usque ad Pipini Regis tempora extra Basilicam Vincentianam in sacello Sancti Symphoriani servatas fuisse ; aliud subjunxi ad eam causam quam pertractabam non inutile : nempe Beati Antistitis sepulchrum, quandiu corpus ejus

in illo sacello substitit, nec multis donariis, nec adeo frequenti populi concursu fuisse celebratum. Hæc observatio, quamvis verissima, gravissimè tamen Ruinartium offendit. *Licetne*, inquit, *etiam * Sanctorum debitæ venerationi detrahere, ut quod semel prolatum est, per fas nefasque defendatur?* Ego venerationem sanctorum imminutam velim! Absit à me id scelus, à quo vehementissimè semper abhorrui: absit ut me unquam adjungam hominibus illis improvidis, ne quid pejus dicam, qui de Religione Christiana bene meritos se putant, si populum à debito Sanctis atque ipsorum reliquiis cultu, quantum in se est, retraxerint. Ultrò igitur & lubentissimè fateor Beatum Germanum statim post mortem illustrem fuisse mi-

* Pag. 502.

raculis, & egregia sanctimoniæ fama spectabilem. Fateor sepulchrum ejus semper dignum fuisse, quod multis donariis & frequentissimo populi concursu celebraretur, nec unquam aliter sensi. At quamvis ita sentiam: tamen contendo sepulchrum istud, quandiu Beati Antistitis corpus in sacello Sancti Symphoriani substitit, nec multis donariis, nec adeo frequenti populi concursu fuisse celebratum. Quod dum contendo, non definio quid fieri debuerit, sed quid factum sit recito.

Ac primò quod spectat ad donaria: hujus rei oculatum atque omni exceptione majorem testem habemus Carolum Magnum Imperatorem: quem *Historiæ translationis Sancti Germani* Auctor sic loquentem inducit: *Videtis,*

tis, ô populi, condignum decorem hujus Ecclesiæ? Reminiscor certe illius temporis, quo nihil horum ornamentorum auri & argenti, excepta hac cruce, hîc fabricatum erat. Domnus namque Germanus tunc in illa crypta quiescebat; & parum quiddam quod ibi modo habetur, pro magno computabatur.....* Cui tanti Principis testimonio cùm nihil habeat Ruinartius quod opponat, non debet acerbè in eum insurgere, qui rem illo testimonio significatam affirmat.

* *Hist. transl. S. Germ. n. 3. sæc. 3. Bened. part. 2. p. 95.*

Jamverò quod attinet ad populi concursum, quem dixi non fuisse *adeo* frequentem, quandiu S. Germani corpus in sacello S. Symphoriani restitit, habeo hîc in quo Ruinartii diligentiam & attentionem desiderem, non fidem, quam semper integram fuisse puto. Is

igitur Disceptationis meæ locum hunc recitans, expunxit voculam *adeo*, brevem illam quidem, sed quæ sensum temperat & intra veritatis limites accuratissimè continet. Neque enim nego aliquem fuisse populi concursum ad Beati Germani corpus, etiam priusquam illud in Basilicam Vincentianam inferretur. Sed dico concursum illum non fuisse *adeo* frequentem, ut postea fuit. Hoc autem vere dici Adversarius ipse fateatur, necesse est.

* Pag. 58. At * *si major posthac concursus illuc fuerit, si plura & majora auri & argenti donaria.... collata sint : id non tam majori ejus sanctitatis famæ, quàm loci amplitudini tribuendum est.* Verùm nihil ego de causa, cui major iste concursus sit tribuendus. Rem, ut erat, exposui: cur ita esset,

non definivi. Igitur quamquam Disceptationem meam Adversarius hoc in loco confutare se jactat, id ipsum tamen approbat quod scripsi; id unum reprehendit quod non scripsi.

III. Vitæ Sanctæ Bathildis Anonymus auctor, sed coævus, inter seniores Basilicas, quas piissima Regina privilegiis & immunitatibus auxit, Basilicam Domni Germani numerat. Unde colligit Mabillonius Basilicam Vincentianam jam tum fuisse interdum dictam *Basilicam Domni Germani*. Verùm istud colligi non potest, nisi ab eo qui probaverit appellari hoc in loco, non Altisiodorensem, sed Parisiensem Sancti Germani Basilicam. Hoc vero nec à Mabillonio, nec à Ruinartio probatum est, aut probari potest. Certè eruditissimus vir

Hadrianus Valesius in Disceptatione *de Basilicis* * hunc Anonymi Scriptoris locum, non de Parisiensi aliqua Beati Germani Basilica, sed de ea quæ in urbe Altisiodorensi condita est, explicandum esse censuit; & verò ita reipsa explicandum esse multis argumentis ostendi potest.

* Pag. 71.

1. Hoc eodem in loco appellantur Basilicæ Sancti Medardi, S. Aniani, Sancti Martini, quibus significari Basilicas Parisienses nemo dixerit, nemo non confessus fuerit designari Suessionensem Sancti Medardi, Aurelianensem Sancti Aniani, Turonensem Sancti Martini. His ergo cùm adjuncta legatur *Basilica Sancti Germani*, quid vetat hoc nomine intelligi Altisiodorensem Sancti Germani Basilicam? quid necesse est Anonymi Scriptoris verba

interpretari de Pariſienſi aliqua Eccleſia & de Pratenſi, quam ipſe Adverſarius non inficiatur, * *ſub Beati Vincentii potiſſimum titulo dicatam, eo nomine frequentius, quàm alio quovis apud Auctores antiquos paſſim deſignari?* * Pag. 44.

2. Baſilicas illas quas Anonymus Scriptor enumerat, non unius Pariſinæ civitatis limitibus comprehenſas omnes, ſed quaſdam ſaltem in remotioribus locis poſitas fuiſſe, ſatis indicant verba proxime ſequentia, quibus Bathildis dicitur privilegiis & immunitatibus auxiſſe *ſeniores Baſilicas ubicumque ejus pertinuerit notitia*, hoc eſt eas omnes, in quarum notitiam venerit. Quæ ſane verba ineptè videntur addita, ſi de ſolis Pariſienſibus Baſilicis ſermo fuerat.

3. Appellatas ab Anonymo

Scriptore Basilicas ad eandem omnes Diœcesim non pertinuisse, nec uni eidemque Episcopo subjectas, sed pluribus, vel ex eo patet, quòd notetur piam Reginam * *Pontificibus seu Abbatibus suadendo pro zelo Dei præcepisse & epistolas pro hoc eis direxisse, ut sub sancto regulari ordine Fratres in ipsa loca consistentes vivere deberent.*

* *Sanctæ Bathildis vita cap 2. num. 3.*

4. Scriptor Anonymus piæ Reginæ Bathildis opera & munificentiam laudibus celebrans, collata ab ipsa in monasteria & Ecclesias beneficia dividit in tres classes. In prima collocat * Calense & Corbeiense monasteria, quæ extruxit & dotavit. In secunda constituit monasteria varia, * quæ anterioribus extructa temporibus, tamen novis ipsa opibus auxit: & inter illa *Parisiaca Ur-*

* *Cap. 2. num 7.*

* *Ibid. n. 8.*

bis Baſilicas & Monaſteria numerat, quibus, ut ille ait, * *villas magnas & multas contulit,* & quæ *muneribus plurimis ditavit.* Tertiam denique claſſem occupant *Seniores Baſilicæ* * quas nec extruxit, nec opibus cumulavit, ſed privilegiis ornavit & immunitatibus, ut his excitati Epiſcopi & Abbates ſubjectis ſibi Fratribus invigilarent diligentius, eoſque *ad vivendum ſub ſancto regulari ordine* inducerent. Jam vero cum Baſilica Sancti Germani, quam laudat Anonymus, non collocetur in ſecunda claſſe, ubi peculiaris ſermo eſt de Pariſienſibus Baſilicis; ſed in tertia, ubi agitur de plurimis variarum provinciarum Baſilicis, non video quo fundamento affirmari poſſit, nomine Sancti Germani deſignatam eſſe Pratenſem Baſilicam, non

* *Ibid.*

* *Ibid. n. 9.*

Altisiodorensem, aut aliam quamvis Sancto Germano dicatam.

5. Denique Anonymus Scriptor non obscure significat, in monasteriis illis, de quibus in tertia classe mentio est, nonnihil labefactatam monasticam disciplinam, moresque fuisse paulò laxiores: unde Episcopi & Abbates, quibus monasteria illa suberant, non modò literis adhortandi, sed etiam concessis de novo privilegiis stimulandi fuêre, ut revocandis ad strictiorem vitæ normam Monachis impensius incumberent. Hoc autem Parisiensi S. Vincentii monasterio minimè convenit. Huic enim illis temporibus præerat S. Babolenus, vir sanctitate & miraculis conspicuus, cui ut officio suo plenè & perfectè fungeretur, stimulus certè admovendus non fuit.

Cùm ergo nullo argumento probari possit nominatam in vita Sanctæ Bathildis Basilicam Sancti Germani esse ipsam Parisiensem Sancti Vincentii Basilicam : non debuit hujus vitæ Scriptor in testimonium adduci, ut evinceretur Vincentianam Basilicam, dictam esse Basilicam Sancti Germani ante Pipini Regis tempora. Quàm infirmum sit & invalidum ejusmodi testimonium videtur ipse Ruinartius sensisse: qui post collocatam in vero hujus sensu indagando prolixam satis & diligentem operam, sic concludit, * *ut ut fuerit de illo ejus Auctoris testimonio*, QUOD FORTÈ NONNULLI ALIÒ DEFLECTI POSSE CENSEBUNT; *alterius Scriptoris irrefragabili auctoritate demonstravit Mabillonius Pratensem Basilicam*

* Pag. 57.

nomine Sancti Germani sub prima Regum nostrorum stirpe fuisse designatam. Igitur consentiente ipso Ruinartio, ex Veteribus Historicis nonnisi unicus mihi jam opponi potest, qui ante Pipinum Regem Basilicam Pratensem nomine Sancti Germani appellaverit. Cujus testis auctoritas sitne *irrefragabilis*, ut Adversarius contendit, an non, nunc est examinandum.

IV. Testis ille, cujus solius suffragio innixam esse causam suam Adversarius non diffitetur, est S. Audoënus Rothomagensis Antistes, * *qui in vita Sancti Eligii lib. 1. cap. 26. miraculum narrat claudi cujusdam in Basilica Sancti Germani Confessoris apud Parisios sanati.* Cujus testimonii pondus & auctoritatem maximam esse fateor, atque etiam *ir-*

* *Eccl. Paris. vindic.* p. 57.

refragabilem, ut Adverſariorum verbis utar ; ſi modo certum ſit, verba quæ citantur, & verè ab Audoëno ſcripta eſſe, & eum habere ſenſum qui ipſis à Mabillonio affingitur. At ſi neutrum ſatis certum eſt : ſi non certo conſtat citata verba eſſe Sancti Audoëni, aut poſito quòd verè ſint Sancti Audoëni, ſi conſtat illa alium habere ſenſum quàm putat Mabillonius; quis non deploratam Adverſariorum cauſam cenſeat, qui pluribus meis certiſſimiſque teſtibus unum habent quem opponant, magni quidem nominis virum, ſed cujus incertum teſtimonium eſt & ambiguum ? Quæ capita modo propoſui, diligenter expendamus.

1. Vitam Sancti Eligii, quæ etiamnunc extat, ſcriptam eſſe ab ejus æquali Sancto Audoëno,

in confesso est apud omnes, & habetur pro explorato. At vitam illam incorruptam & omnis interpolationis immunem ad nostra usque tempora pervenisse non adeo certum est: sane aliter censet doctissimus Dominus Pelehester, cujus sagacitati, vigiliis, eruditioni plurimum se debere Mabillonius atque ejus Sodales non diffitebuntur, ut puto. Ille ergo amicè me monuit, vitæ Sancti Eligii plus auctoritatis hactenus à me & ab Adversariis tributum esse quàm par fuit; vitam quidem illam reipsa ab S. Audoëno scriptam: sed sibi manifestum esse & certissimis argumentis compertum, quòd postmodum fuerit multis in locis interpolata. Quæ diligentissimi & peritissimi viri censura si vera est, ut credere licet, quid prohibere
potest,

poteſt, quominus citata à Mabillonio verba, iis annumeremus, quæ poſtea adjecta ſunt vel immutata? Certe librorum veterum interpolatores Librarii, in eo maxime operam ſuam ponere ſolebant, ut vetuſtis & jam minùs uſitatis locorum nominibus, aut interpretationem aliquam ſubjungerent, aut nova & magis cognita nomina ſubſtituerent. Quod cùm ita ſit, proclive eſt creditu eos, qui poſt Pipini tempora vitam Sancti Eligii interpolarunt, cùm in ea appellatam legerent Baſilicam Sancti Vincentii, quæ ſuâ jam ætate vocabatur Sancti Germani, omiſſo veteri nomine jam antiquato, novum ſuppoſuiſſe. Atque hæc conjectura ex eo capite confirmari poteſt, quòd cæteri Hiſtorici temporum Audoëni vel æquales vel vicini uſ-

que ad Pipini ætatem, Pratensem Basilicam unanimi consensu semper appellent Basilicam Sanctæ Crucis vel Sancti Vincentii, nunquam Basilicam Sancti Germani. Si tamen non placet conjectura, & fixum est hunc vitæ Sancti Eligii locum integrum dicere & omnis corruptionis expertem, suffragabor eò lubentiùs quòd mihi persuasum sit alium hujus loci sensum esse quàm Mabillonius & Ruinartius crediderunt: cur autem id mihi persuasum sit, paucis explico.

2. Locus ille si non est corruptus, demonstrat vivente Eligio Parisiis fuisse Ecclesiam, quæ nomen haberet Sancti Germani. At non demonstrat hoc nomine designatam esse Ecclesiam Pratensem. Nam etiamnum hodie tres sunt Parisiis Basilicæ, quæ Sancti

Germani nomen ferant. Una quæ intra antiquæ urbis ſepta poſita, dicitur Eccleſia Sancti Germani veteris. Altera quæ Sancti Germani de pratis idcirco nominata eſt, quia olim erant prata, ubi nunc Pariſinorum ſuburbiorum nobiliſſimum eſt atque ampliſſimum. Tertia è regione Pratenſis Baſilicæ ad oppoſitam Sequanæ ripam exſtructa, nomen trahit ab eo, in cujus honorem dicata eſt, Sancto Germano Altiſiodorenſi Epiſcopo. Cùm ergo Sanctus Audoënus hoc unum affirmet, Eligium *aliquando Pariſiis loca orationum circumeuntem veniſſe ad Baſilicam Sancti Germani Confeſſoris :* nec definiat quæ ſit illa Baſilica ; quove in loco ſita, an intra urbem, an in ſuburbiis ; Pariſienſi, an Altiſiodorenſi Germano dicata ; hæc omnia

cum incerta relinquat Sanctus Præsul : quo tandem jure, quove fundamento ipsius verba Mabillonius & Ruinartius interpretantur de Pratensi Basilica potiùs quàm de duabus aliis ? Certè mihi locum integrum diligenter expendenti ne una quidem occurrit vocula, ex qua probari posset, locum hunc ad Basilicam Pratensem magis quàm ad alias duas pertinere : imò occurrit aliquid ex quo evincerem non pertinere, ut modò sum dicturus.

3. In Basilica illa ad quam Eligius venit, cancellos fuisse constat Sancti Germani dictos, juxta quos vir sanctus ægrum sanandum jussit deponi. Jam verò certum videtur temporibus Eligii nullos ejusmodi fuisse cancellos in Basilica Vincentiana. Dico, *Eligii temporibus* ; neque enim

ignoro ſæculo ſequenti, poſt-quam Beati Germani corpus ex ſacello Sancti Symphoriani in Baſilicam Vincentianam tranſlatum eſt, fuiſſe ad Beati Antiſtitis ſepulchrum cancellos, quos Sancti Germani cancellos dictos fuiſſe nihil vetat: ſed quærimus, an etiam ante hæc tempora atque ſæculo ſeptimo, quo Sanctus Eligius floruit, fuerint in Eccleſia Vincentiana cancelli, qui dicerentur *Cancelli Sancti Germani*: nullos hujuſmodi fuiſſe dico, & evidenter, ut reor, demonſtro.

In Eccleſia Vincentiana nulli eſſe potuerunt cancelli, quos populus vocaret *cancellos Sancti Germani*, quin in illa Eccleſia eſſet, vel altare aliquod dicatum ſub Sancti Germani titulo, vel Sancti Germani ſepulchrum, vel apertus aliquis locus ex quo po-

situm in vicino sacello sepulchrum prospici posset. Atqui nihil horum dici potest fuisse septimo sæculo in Ecclesia Vincentiana. 1. Nullum ibi erat altare quod Sancti Germani nomen haberet; hoc ipse fatetur Mabillonius,* ubi docet quatuor tantum in illa Ecclesia fuisse altaria, *Unum ad Orientem in honorem Sanctæ crucis & beati Vincentii martyris consecratum, alterum ad Aquilonem in veneratione sanctorum martyrum Ferreoli & Ferrutionis, tertium ad meridiem sub titulo S. Juliani Brivatensis, quartum versus Occidentem in honorem sanctorum martyrum Gervasii & Protasii, Celsi, & Georgii.* Nullum ergo in honorem Sancti Germani. 2. Eligii ætate Sancti Germani sepulchrum nondum erat intra Basilicam Vincentianam: hoc ip-

* *Ann. Bened. tom. 1. lib. 5. p. 135.*

ſum Adverſarii fatentur, & conſtat ex certiſſimis monumentis. 3. Denique nec in Baſilica Vincentiana locus tunc fuit, unde per cancellos proſpici poſſet poſitum in vicino ſacello Beati Antiſtitis ſepulchrum; nam ſi talis fuiſſet locus, quando Sancti viri corpus ex ſacello in Baſilicam octavo ſæculo invectum eſt, ut ex illo in hanc tranſitus pateret, disjiciendi ſolummodo fuiſſent cancelli, non paries Eccleſiæ de novo perforandus. Tamen *Hiſtoriæ tranſlationis Sancti Germani* Auctor Anonymus, ſed coævus, diſertè teſtatur, Sanctiſſimi Epiſcopi corpus ex ſacello Sancti Symphoriani in quo uſque ad Pipini tempora jacuerat, in Eccleſiam Vincentianam non potuiſſe inferri, niſi *pariete Eccleſiæ perforato.* Certum eſt igitur nullos uſque

ad Pipini Regis tempora fuisse in Ecclesia Vincentiana cancellos, quos Eligius appellare potuerit *cancellos Sancti Germani*; atque adeo illa Sancti Germani Basilica, ad quam Audoëno narrante Eligius oratum venit, non est Vincentiana seu Pratensis Basilica.

4. Illam Sancti Germani Basilicam in qua Eligio orante claudus sanatus est, esse Ecclesiam quæ nunc dicitur Sancti Germani *veteris*, illud mihi maximè persuadet, quòd tum cùm Sanctus Audoënus hæc de Sancto Eligio scriberet, videtur unica fuisse Parisiis Basilica quæ Sancti Germani nomen haberet. Nam si plures tunc Parisiis extitissent ejusdem nominis Basilicæ, Audoënus non solummodò diceret Eligium *venisse ad Basilicam Sancti Germa-*

ni Confeſſoris; ſed aliquid adjungeret quo Baſilica illa ab alia ejuſdem nominis ſecerneretur. Cùm ergo ſine adjuncto ſcribat Eligium *veniſſe ad Baſilicam Sancti Germani Confeſſoris*, ſignum eſt unicam ejus nominis tunc fuiſſe Pariſiis Baſilicam. Si unica fuit, non alia certè quâm Baſilica Sancti Germani *veteris*, quæ omnium prima Sancti Germani nomen geſſit, ut inditum ipſi *veteris* cognomen apertè demonſtrat. Cur enim iſta Sancti Germani Eccleſia præ cæteris accepiſſet cognomen *veteris*, niſi quia jampridem ipſa Sancti Germani nomen habebat, quando primùm aliæ idem nomen habere cœperunt? Cenſuit quidem Breulius hanc Baſilicam dictam Sancti Germani *veteris* ob longævam Sancti Germani Pariſienſis Epiſ-

copi ætatem. *Sed cùm nulla id auctoritate* approbet,* inquit Gerardus Vossius, *malim dicere cum Valesio viro doctissimo, id nomen tributum huic Ecclesiæ ab ipsa Basilicæ vetustate.* Simili modo cùm Parisiis condita fuisset altera Ecclesia in honorem Sancti Stephani, quæ prior ædificata fuerat, dicta est *vetus*. Antiquissima est ergo Ecclesia Sancti Germani *veteris*, & omnium prima quæ Parisiis nomen Sancti Germani habuerit. Si prima omnium Sancti Germani nomen sortita est, gessit illud ante Pipini tempora, cum idem nomen Basilicæ Vincentianæ attributum est: nec quicquam prohibet, quominus credamus Sancti Germani *veteris* Ecclesiam Eligii ætate nomen habuisse Sancti Germani.

* *Hist. Eccl. Paris. p. 572. lib. 9. cap. 5.*

Neque verò rationes desunt,

cur id nominis jam tum ab initio obtinuerit. Ibi enim Beatus Antiſtes cum Pariſios venit, primùm cum diſcipulis conſederat, & aliquandiu cum ipſis vixerat: unde credibile eſt poſt Beati Antiſtitis mortem iſti loco aliquas ejuſdem reliquias conceſſas fuiſſe. Et vero nono ſæculo graſſantibus circa Pariſios & omnia vaſtantibus Normannis, Beatæ quidem Genovefæ corpus in primarium urbis templum delatum eſt, id teſtante Abbone, qui intererat: * *Virgo Dei Genovefa caput defertur ad urbis*. Quod *urbis caput* de Eccleſia quæ cæterarum ſit caput, eruditi intelligunt. Sancti autem Germani corpus in urbem quoque tunc advectum, ut idem auctor docet, * non in primarium urbis templum deportatum fuit, ſed, ut habet Inter-

* *De obſid. Lutet. lib. 2.*

* *Ibid.*

polator Aimoini Monachus San-Germanensis,* *in arcisterium ejusdem Sancti Pontificis in civitate prædicta situm*: hoc est in ipsam Ecclesiam Sancti Germani *veteris*. Cur autem in hanc potius, quam in Ecclesiam urbis primariam, nisi quia in ista jamdudum Beatus Germanus Parisiensis Episcopus colebatur, & ejus nomine erat insignita? Atque ita sensit Hadrianus Valesius, cujus hæc verba sunt: *In Baptismalem Ecclesiam** *Sancti Germani veteris*, inquit, *delatum ab Germanensibus Monachis Patroni sui corpus puto; quòd is locus in insula vel civitate Lutecia positus esset ad ripam Sequanæ, & eundem haberet patronum, nimirum S. Germanum Parisiorum Episcopum..... Hæc quidem Baptismalis intra civitatem Ecclesia Germanum*

* *Lib. 5. cap. 41.*

* *De Basil. lib. cap. 12. pag. 473.*

manum Pariſiacorum Antiſtitem pro titulari, & patrono habet, ac S. Germani veteris à vetuſtate cognomeninvenit.

Fortaſſe jam requirat à nobis Ruinartius, ut oſtendamus fuiſſe in Eccleſia Sancti Germani *veteris* cancellos, qui dicerentur Sancti Germani. Verùm quis neget in illa Baſilica, quæ jam tum Sancti Germani nomine appellabatur, fuiſſe erectum Deo altare in honorem Sancti Germani? Si autem altare fuit, utique & cancelli eſſe potuerunt, qui dicerentur Sancti Germani. Saltem nullum eſt argumentum, quo evinci poſſit non fuiſſe in illa Baſilica cancellos Sancti Germani dictos. Demonſtravi autem nullos hujuſmodi cancellos tunc fuiſſe in Baſilica Vincentiana. Igitur Pariſienſis Baſilica Sancti Germani de

qua mentio est in vita Sancti Eligii, non est Vincentiana Basilica, sed potius Basilica Sancti Germani *veteris*.

Superest una adhuc Ruinartii objectio petita ex duobus aut tribus vetustis diplomatibus, in quibus Pratense monasterium appellatur monasterium Sancti Vincentii, & Sancti Germani. Verùm duo habeo quæ respondeam. Primum, fortasse causam fuisse, cur Pratense monasterium sæculo etiam septimo diceretur Sancti Vincentii & Sancti Germani, cùm re ipsâ Sancti Germani sepulchrum intra monasterii septa contineretur; at non inde consequens est, quod fuerit etiam causa cur ipsa Basilica in qua Beati Antitistis sepulchrum non erat, diceretur quoque Basilica Sancti Vincentii & Sancti Germani.

Deinde respondeo, si testamento Vandemiris & Erchamberthæ vitio datur quòd in eo Vincentiana Basilica septimo jam sæculo appelletur Basilica Sancti Germani; eodem argumento impugnari etiam cæteras omnes ejusdem ævi chartas, in quibus eadem appellatio reperitur. Quis enim credat septimo sæculo & octavo ineunte Pratensem Basilicam aliter in Diplomatibus Regum, aliter in Historicis illorum temporum appellatam fuisse? Si ei nomen S. Germani nondum vulgo tribuebatur, qua ratione factum fuit ut tamen illud Reges in Diplomatibus suis usurpaverint? Si commune jam tum fuit nomen, cur nullus Historicus, quem certò sciamus de Pratensi Basilica locutum esse, illud usurpavit?

CAPUT V.

De tertio falsi argumento, quod in eadem charta fuerat observatum.

QUæ duo primùm argumenta chartæ Vandemiris & Erchambertæ opposueram, valent illa etiamnum, nec Ruinartii Vindiciis ullo pacto labefactata sunt. Tertium in secunda Disceptatione addideram, quod Ruinartius pariter impugnavit, an felicius, Lectoris esto judicium. Vandemiris & Erchamberta aiunt in testamento se *pari modo donare ad Basilica domnæ Germanæ, ubi vir venerabilis Landebertus Abba præesse veditur, villam cognomenante Fraxineto.....* Basilicam Domni Germani Mabillonius interpretatus fuerat Pari-

ſienſem Sancti Germani Altiſio-dorenſis Epiſcopi Baſilicam. Quæ ejus interpretatio novum mihi adverſus chartam ipſam ſubmi-niſtravit falſi argumentum. Charta enim ſcripta dicitur anno XVII. Theodorici Regis; Helgaldus autem ſcriptor coævus docet à Roberto Rege, hoc eſt, trecentis annis poſt Theodorici mortem conditum fuiſſe Pariſienſe Sancti Germani Altiſiodorenſis monaſterium.

Id primus apud Helgaldum obſervaverat Adrianus * Valeſius his verbis: notare convenit, « quæ à nemine hactenus obſer- « vata miror, Monaſterium Sancti « Germani Autiſſiodurenſis Epiſ- « copi Lutetiæ Pariſiorum, & mo- « naſterium Sancti Germani Pari- « ſiorum quondam Epiſcopi in Syl- « va Ledia à Rotberto Francorum «

* *Diſcept. de Baſil. cap. 5. pag. 61.*

» Rege ædificata esse. *In civitate*
» *Parisius*, inquit Helgaldus, *ædifi-*
» *cavit Ecclesiam in honore Sancti*
» *Nicolai Pontificis in Palatio: &*
» *Monasterium Sancti Germani Au-*
» *tissiodorensis: item Sancti Germa-*
» *ni Parisiacensis cum Ecclesia San-*
» *cti Vincentii in Sylva cognomi-*
» *nata Ledia*..... At Jacobus Bro-
» lius, vir alioquin nec indoctus, nec
» contemnendus, cum Helgaldi
» verba male interpuncta trunca-
» ret, nec intelligeret, existimavit
» Parisiacum monasterium Sancti
» Germani Parisiensis Antistitis à
» Rotberto Rege Francorum re-
» paratum & refectum esse, idque
» Helgaldum scribere. Monaste-
» rium autem Sancti Germani Au-
» tissiodurensis nunc bifariam di-
» visum esse, & Canonicorum quos
» sæculares vocant vetus colle-
» gium, ac simul Ecclesiam Parœ-

cialem continet, nomenque an- "
tiquum ſervat Sancti Germani "
Autiſſiodurenſis ; ut ſciant dein- "
ceps loci Canonici, quo debeant "
auctore gloriari. "

Hactenus Valeſius : cujus auctoritas diſerto Helgaldi teſtimonio ſuffulta mihi omnino perſuaſerat Pariſienſe Sancti Germani Altiſiodorenſis monaſterium reipſa à Roberto Francorum Rege fundatum fuiſſe & primò extructum, non reparatum ſolummodo & refectum. * Verum eripere mihi Valeſium conatur Ruinartius. *Hadrianus Valeſius*, inquit, *quem pro ſe ipſo incaute laudavit* (Germonius) *illi ipſi omnino adverſatur*. Hæc confidenter quidem : at pace religioſi viri dixerim, non ſatis candide. Valeſius Sancti Germani Altiſiodorenſis Eccleſiam monet dividen-

* *Pag. 67.*

dam esse à veteri Canonicorum collegio seu monasterio, quod etiamnum ibidem cernitur: Ecclesiam quidem fatetur * *anno 886. quo à Normannis obsessa Lutetia est, jam stetisse*: adjunctum autem ad eam Ecclesiam *monasterium esse à Roberto Rege ædificatum* iterum monet, & pluribus confirmat. Igitur cùm Valesius docet Sancti Germani Altisiodorensis Ecclesiam alio tempore, alio monasterium fundatum esse & ædificatum, mihi adversatur; utrumque enim putaveram Roberti Regis pietati & munificentiæ deberi. At multò magis adversatur Ruinartio, cùm probat nullum ibi monasterium extitisse ante Roberti Regis tempora. Istud enim postremum si solum verum sit, satis est ad causam quam Ruinartius tuetur, omni-

* *De Basil. Paris. lib. cap. 12. p. 469.*

no convellendam: quod facile eſt demonſtrare.

In Vandemiris & Erchambertæ charta, quam veram eſſe contendit Ruinartius, dicitur Baſilicæ Sancti Germani (Altiſiodorenſis) Landebertus Abbas anno Theodorici Regis decimo ſeptimo. Ubi præeſt Abbas, ibi certe exiſtit monaſterium, hoc eſt Monachorum vel Canonicorum collegium; utrique enim monaſterii nomen olim datum eſt: ubi vero nullum fuit monaſterium, ibi nec Abbas eſſe potuit. Atqui Valeſius cenſet Sancti Germani Altiſiodorenſis Monaſterium, opus eſſe Roberti Regis, atque adeo non extitiſſe regnante Theodorico Clodovei ſecundi filio. Ergo cenſet Valeſius Baſilicæ Sancti Germani Altiſiodorenſis nullum præfuiſſe Abbatem

ante Roberti Regis tempora. Si autem semel constat Basilicæ illi nullum præfuisse Abbatem sub prima & secunda Regum nostrorum dynastia, quo in loco habenda erit Vandemiris & Erchambertæ charta, in qua Landebertum Abbatem Basilicæ illi præfuisse regnante Theodorico affirmatur?

Illud unum Ruinartio restat ad tutandam causam suam, ut quem à me incaute laudatum dixerat Valesium, quem mihi omnino adversari confidenter pronunciabat; hujus ipse auctoritatem declinare nitatur & opinionem rejiciat. Contra illud unum mihi nunc curandum est, ut ostendam vere sensisse Valesium.

Ac primò lubens cum Valesio assentior Breulio Abbonis versus, in quibus *Germani teretis* men-

tio eſt, interpretanti de Eccleſia Sancti Germani Altiſiodorenſis: quippe Abbo non obſcure ſignificat illam *S. Germani teretis*, ſeu Eccleſiam, ſeu ædiculam, (neque enim qualis illa fuerit, ipſe aperit) fuiſſe poſitam in Lutetiæ ſuburbiis, ad Septentrionalem Sequanæ ripam, atque e regione Baſilicæ Vincentianæ. Quæ poſitio non videtur in aliam ædem ſacram cadere poſſe, quàm in Eccleſiam Sancti Germani Altiſiodorenſis Epiſcopi, quæ ibidem loci etiamnum ſita conſpicitur.

At illa Eccleſia habebatne tunc temporis adjunctum ſibi Monaſterium? Id non docet Abbo, nec ullus, quem ſciam, Hiſtoricus, qui ante Helgaldum ſcripſerit. Quamobrem cavendum, ne plus Abboni tribuamus, quam

dixit. Innuit ille ætate sua, hoc est nono sæculo, extructam jam fuisse Ecclesiam Sancti Germani Altisiodorensis eodem in loco, ubi nunc est nobilissima ejusdem Sancti Basilica: at nullo pacto innuit ibi jam tum fuisse monasterium. Contra Helgaldus disertè scribit ætate sua, hoc est circa initium undecimi sæculi, factum esse à Roberto Rege Sancti Germani Altisiodorensis Monasterium, Ecclesiam tunc factam non dicit. Quæ duo testimonia cum attente Valesius legisset & expendisset accurate, censuit nono quidem sæculo Sancti Germani Altisiodorensis Ecclesiam extitisse, sed sine Monasterio: undecimo autem sæculo illi Ecclesiæ adjunctum fuisse Monasterium.

Ita sentientem eruditum virum

sequi

ſequi nihil vetat. Certe hâc, quam iniit viâ, & Abbo & Helgaldus inter ſe conciliantur, nulla vi facta ipſorum verbis, ut in ſenſum commodum detorqueantur; nullo ipſis repugnante Hiſtorico, qui antiquior ſit vel æqualis; nullâ re propoſitâ, quæ ſit incredibilis aut inſolens. Nam ut de cæteris Baſilicis ſileam, quæ prius exſtructæ ſunt, quàm in eas Monachi inducerentur: quis neſcit communem hanc eſſe inter eruditos opinionem, & prope certam, quòd ad ſepulchrum S. Dionyſii & ſociorum Baſilica multo ante condita ſit, quàm ibidem Monaſterium collocaretur.

Neque ſi dixerimus Pariſienſem Sancti Germani Altiſiodorenſis Baſilicam anterioribus quidem ſæculis eſſe conditam, Monaſterium autem poſterioribus; ne-

cesse erit idcircò negare, sepultum in ea Ecclesia fuisse Beatum Landericum Parisiorum sub medio septimi sæculi Episcopum, aut illum unquam Parisiensem Episcopum extitisse : quorum prius valde probabile, alterum omnino certum existimo & fateor lubens.

Neque verò ignoramus, apud Helgaldum constructa à Roberto quædam dici Monasteria, quæ ab illo Rege non sunt primum condita ; sed solummodo reparata aut in integrum restituta. Verùm præterquam quòd Scriptor ille, cùm de ejusmodi monasteriis agit, verba interdum apponit, ex quibus facilè cognoscitur non de prima monasterii exstructione sed de sola restitutione debere intelligi : isti interpretationi non videtur hîc locus esse relictus. Sic enim loquitur

* Helgaldus. *Fecit (Robertus Rex) in Civitate Pariſius Eccleſiam in honore Sancti Nicolai Pontificis in Palatio..... Monaſterium Sancti Germani Altiſiodorenſis..... Item Monaſterium Sancti Germani Pariſiacenſis, cum Ecleſia Sancti Vincentii in Sylva cognominata Ledia.* Quæramus jam ab Adverſario, an Helgaldus, cùm ait Robertum Regem Pariſiis in Palatio feciſſe Eccleſiam in honore Sancti Nicolai, loquatur de prima hujus Eccleſiæ ædificatione, an de ejus reparatione. Reſpondebit, opinor, Helgaldum intelligendum eſſe de prima Eccleſiæ Sancti Nicolai ædificatione. Si rurſum interrogetur de Monaſterio Sancti Germani in Sylva Ledia, an primo conditum ſit & factum à Roberto Rege, an ſolummodo refectum ? Factum

* *Franc. Ducheſ. tom. 4. p. 77.*

fatebitur, ni fallor, non refectum. Jam verò si interrogetur de Parisiensi Sancti Germani Altisiodorensis monasterio, quod Helgaldus medium recensuit inter Ecclesiam Sancti Nicolai & monasterium S. Germani Parisiensis in Sylva Ledia, quid jam responsurus est? Monasterium istud Parisiense à Roberto Rege non esse factum sed refectum.

At cùm Helgaldus uno tenore scribat Robertum Regem tria Parisiis *fecisse* ædificia sacra: cur de primo & tertio conceditur, quòd reipsa à piissimo Rege facta sint; de secundo autem dicitur, quòd sit ab eodem Rege solummodo refectum & reparatum? Si sic licet uni voci eodem in loco sensus diversos affingere, prout videtur commodum, quæ erit deinceps certa veteres libros le-

gendi regula? quæ recta ratio interpretandi?

At ſunt alia vetera monumenta, quæ docent Helgaldi verba gemino hoc ſenſu & commodo, non unico, non ſtricto & accurato eſſe intelligenda. Quæ autem illa monumenta? Nempe Charta Caroli cognomento Calvi, Præceptum Ludovici Pii, & Bulla Benedicti VII. Verùm nec Ruinartius, nec Boſcius, & ſi qui alii hæc laudant inſtrumenta, aiunt autographa extare, ſed producunt exſcripta ex apographis, iiſque vitiatis. Chartam quidem Caroli Calvi Ruinartius & Boſcius, quia ſpuriam dicere noluerunt, interpolatam dicere coacti ſunt: ſi quidem in ea Indictio tertia notata legitur, ubi nona eſſe debuit. Bulla autem Benedicti VII. cùm aliquas temporis notas habere de-

beat, nullas tamen habet, quantùm ex eorum qui ejus testimonio utuntur, relatione conjicere licet. Igitur cùm constet eos qui instrumenta illa exscripserunt, vel negligentiores fuisse, vel audaciores, nonnullaque ab iis sive consultò, sive per incuriam immutata esse & prætermissa; licet pariter suspectam in hac ipsa re, de quâ agitur, habere eorum fidem vel diligentiam: licet dubitare, an non quemadmodum Indictionem tertiam pro nona scripserunt, ita etiam *Monasterii* vel *Abbatiæ* nomen nomini *Ecclesiæ* substituerint, rati Sancti Germani Altisiodorensis Ecclesiam Monasterium semper adjunctum habuisse, quia illam ætate sua auctam monasterio cernebant. Quicquid id est, multi existimabunt instrumenta aliquot

vitiata evidenti & diſerto coævi Scriptoris teſtimonio non eſſe facile anteponenda.

Hactenus argumenta quibus Vandemiris & Erchambertæ Chartam in prima & ſecunda Diſceptatione mea impugnaveram, adverſus Ruinartii vindicias defendere conatus ſum: nunc eadem aliis noviſque argumentis ſunt firmanda.

Caput VI.

Duo proferuntur argumenta, quibus Vandemiris & Erchambertæ Teſtamento nova falſi ſuſpicio aſpergitur.

IN Charta Vandemiris & Erchambertæ leguntur hæc verba paulò poſt initium: *donamus donatumque in perpetuo eſſe volumus ad Baſilica Domnæ Stephanæ*

in Parisius, ubi Domnus Sigofridus Pontifex praeesse vediturvilla cognomentante in pago Camliacensi cum omne merito vel agecientias & soledetates suas, sicut à nobis præsente tempore est possessum..... In quibus verbis duo occurrunt vitia, quorum vel unum chartæ falsitatem demonstrat.

I. Vandemiris & Erchamberta Parisiensi Basilicæ Sancti Stephani donant & in perpetuum donatum volunt : quid ? Villam positam in pago Camliacensi. Benè : sed villæ illi quod nomen fuit ? Villa, inquiunt, *cognomenante in pago Camliacensi.* Pagum, ubi posita erat villa, appellant : ipsius villæ, quam donant, nomen in authentico donationis instrumento reticent. Reticeri autem potuisse in syncero autographo quis credat ? Non rarò qui-

dem ſit, ut in authentico donationis inſtrumento verba aliqua incautè excidant quæ minùs neceſſaria ſunt, vel quæ ad formulam ſpectant. At non contingit ut per inadvertentiam illa prætereantur, quæ ad donationis ipſius ſubſtantiam, ut loquuntur, pertinent; quale eſt rei ipſius quæ donatur nomen. Nam id ſi forte Notario excidat, advertant certè Legatores aut Legatarii, quorum pariter intereſt. Recta enim ratio docet invalidam eſſe, inanem & fictam donationem, qua Eccleſiæ vel cuilibet alteri villa una ſic attribuitur, ut nullius villæ nomen definitè appelletur? Ludere cenſentur, non vere aliquid donare, qui rem quam donant, nec determinant, nec nominant.

At Teſtatores, inquies, ſatis apertè determinant quid donent;

cùm scribunt, se donare, & in perpetuum donatam velle villam suam in pago Camliacensi. Istud quidem facile concederem, si unicam illi in pago Camliacensi villam habuissent: sed plures & saltem quinque hoc ipso in pago villas possidebant, ut ex ipso Testamento patet. Quam igitur donant Basilicæ Sancti Stephani? Nullam certe. Quandiu enim, nec nomine suo appellata, nec alia ratione definita res est quæ donatur, nihil donatum est.

Dices fortasse villæ quidem nomen non haberi in exemplari quod Mabillonius exhibuit: verùm positum olim fuisse in autographo. At Mabillonius fideliter expressit ipsius autographi, quod vidit, effigiem: & ut est diligens & accuratus, interjectis aliquot punctis sedulo annotavit

loca omnia, ubi aliquid deeſt quod propter autographi vetuſtatem in eo legi non potuit. Cùm ergo in iſto loco, quem arguimus, continua ſit oratio, nec ulla videantur puncta interjecta; ſignum eſt nihil hîc in exemplari deeſſe, quod fuerit in autographo. Igitur in ipſo autographo Teſtatores Baſilicæ Sancti Stephani villam donant, nec definiunt quam villam donént. Hoc autem donationis genus, ſive ut verius dicam, monſtrum, quis non ſentiat, nimis vanum eſſe quàm ut ſyncero & genuino inſtrumento convenire poſſit?

Illud accedit quòd Vandemiris & Erchamberta ipſi doceant, villam hanc ſuam habuiſſe nomen aliquod aut ſaltem cognomentum, ſed quodnam cognomentum illud fuerit, non do-

ceant. *Donamus*, inquiunt, *villa cognomenante in pago Camliacensi.* Hoc est, quantùm licet divinare, *donamus villam cognominatam in pago Camliacensi.* Si quis hodie venditor dicat, *Vendo tibi villam meam cognominatam in agro Parisiensi*, nec quicquam aliud addat; quis hominem ferat? Simile quid Vandemiri & Erchambertæ attribuitur in charta quam examinamus. Donare se, aiunt, Basilicæ Sancti Stephani villam in pago Camliacensi sitam, & quæ cognomen aliquod habeat, sed quodnam sit illud villæ quam donatam volunt, cognomen, Testatores aut nesciunt, aut prodere nolunt. Atqui cognomen istud necessarium est, ut villa, quæ donatur cognosci possit, & ab aliis ejusdem pagi villis secerni. Ne-

cessarium

cessarium sit, necne, parum curant; rem luculenter explicatam, villamque suam satis clarè designatam putant, ubi dixerunt huic inesse aliquod cognomen. Et legitimum censebimus instrumentum, in quo hæc habentur! Absit. Apage tam futiles ineptias à Majoribus nostris, quos etiamsi certum est literis minùs cultos fuisse, tamen bardos & plane stolidos fingere non licet.

II. Vandemiris & Erchamberta villam donant, & in perpetuum donatam volunt *ad Basilica domnæ Stephanæ in Parisius, ubi Domnus Sigofridus Pontefex præesse veditur.* Basilica illa cui Parisiensis Episcopus præesse dicitur, procul dubio Ecclesia est primaria quam matrem seu *Cathedralem* vocant. Quare si ostendi potest primariam Lutetiæ Eccle-

ſiam temporibus Theodorici Regis, quo Vandemiris & Erchambertæ teſtamentum factum dicitur, non geſſiſſe nomen Sancti Stephani, ſed Beatiſſimæ Mariæ Virginis, nonne ipſum teſtamentum vel hoc ſolo argumento erit convictum falſi? Atqui illud ipſum plane, ut mihi videtur, demonſtrarunt Valeſius, & poſt * Valeſium Gerardus Boſcius * eruditus Congregationis Oratorii preſbyter, quorum probationes aliquot ſubjicere hîc non erit inutile.

** De Baſil Pariſ. lib. cap. 3.*

** Hiſt. Pariſ. Eccl. lib. 9. cap. 4.*

Abbo San-Germanenſis Monachus in libro primo de obſidione Lutetiæ docet Gozlinum Pariſienſem Epiſcopum Beatiſſimæ Virginis opem adverſus Normannos imploraſſe his verbis:

Alma Redemptoris Genitrix mundique ſalutis,

Stella maris fulgens, cunctis præclarior aſtris,
Cede tuas precibus clemens aures rogitantis,
Si tibi me libeat Miſſas unquam celebrare.....

Tum paulò poſt hæc addit:

Urbs in honore micat celſæ ſacrata Mariæ,
Auxilio cujus fruimur vita modo tuti.

Certè non aliam ob cauſam ſcribit Abbo urbem Mariæ ſacratam fuiſſe, quàm quia ſub nomine Mariæ dicata erat primaria urbis Eccleſia, in qua Gozlinus *Miſſas* celebrare conſueverat.

Neque verò exiſtimandum eſt nomen illud ætate Abbonis novum fuiſſe, atque huic Eccleſiæ recenter impoſitum. Aimoinus libro 3. Hiſtoriæ Francorum hæc habet: * *Interca Fredegun-* * Pag. 58.

dis marito viduata ad Basilicam Parisiacæ urbis in honore Sanctæ Mariæ dicatam, cum thesauris, quos secum habebat, se conferens, à Ragnemodo suscipitur Episcopo.

Aimoino consentit anonymus, sed antiquus auctor Vitæ Sancti Chlodoaldi, cùm ita loquitur: *Chlodoaldus condidit monasterium in loco, cui olim vocabulum Novigentum.... atque illud matri Ecclesiæ ejusdem (Parisiensis) civitatis, videlicet Sanctæ Mariæ, perpetuò habendum delegavit.* Igitur si qua fides est illis Scriptoribus, non tantùm nono sæculo, sed regnantibus Clotario primo & secundo, hoc est longè ante Theodorici tempora, primaria Parisiorum Ecclesia Sanctæ Mariæ nomen gerebat.

Hæc & alia veterum Scripto-

rum teſtimonia Valeſius & Boſcius confirmant auctoritate aliquot veterum inſtrumentorum, quibus hac in parte cum Hiſtoricis apprime convenit. Atque inter alias citant chartam Childeberti primi datam Sancto Germano Pariſienſi Epiſcopo, in qua *mater Eccleſia Pariſiaca* dicitur *dedicata in honore Sanctæ Mariæ.* Quare pro certo haberi debet primariam Lutetiæ Eccleſiam ab initio Regni Francorum conſecratam Deo fuiſſe ſub nomine Beatiſſimæ Virginis Mariæ.

Mihi quidem non latet, in quibuſdam veteribus monumentis, nomine Sanctæ Mariæ ſubjungi nomen Sancti Stephani, ſive quia inter principes ejuſdem Eccleſiæ patronos numerabatur, ut vult Valeſius; ſive, ut cenſet Boſcius, quia Eccleſiæ Sanctæ Mariæ tunc

adhærebat alia Basilica in honorem Sancti Stephani condita. Ut ut est; extra controversiam mihi videtur positum, quòd regnante Theodorico Clodovei secundi filio, primaria Parisiorum Ecclesia jam tum gereret Beatæ Mariæ Virginis nomen, nec Sanctum Stephanum tunc patronum haberet, nisi secundarium.

Hoc autem ita posito, quis non suspectam habeat Vandemiris & Erchambertæ chartam, in qua primaria Parisiorum Ecclesia appellatur: *Basilica Domni Stephani*, nulla facta mentione Beatæ Virginis, in cujus honorem Ecclesia dedicata erat, cujus nomen tunc gerebat? Poterat sane, quemadmodum in aliis aliquot monumentis, post Sanctam Mariam appellari quoque Sanctus Stephanus secundarius Ecclesiæ

patronus Verùm Sanctæ Mariæ nomen præteriri non debuit ab iis qui tunc Testamentum scribebant, cùm Ecclesiæ Parisiensi non aliud nomen esset quàm Sanctæ Mariæ.

Conclusio.

PRæstiti, ni fallor, quod initio hujus Disceptationis fuerat promissum. Ostensum est Vandemiris & Erchambertæ chartam nondum esse à suspicione falsi purgatam. Quæ in prioribus Disceptationibus objecta isti chartæ fuerant vitia, Ruinartius Vindiciis suis non delevit. Duo de novo argumenta adjeci, alia fortasse additurus postea, si res feret. Interea æqui rerum æstimatores judicent, quo in pretio esse debeant edita à Mabillonio

indubitatorum autographorum specimina ; cùm Adversarii ab accusatione falsi ne illud quidem plane vindicare possint, quod inter cætera selectum existimaverunt firmæ magis & facili locum dare defensioni.

Admonitio in ſequentem Diſceptationem.

CUm primùm editas à Juſto Fontanino Mabillonianorum diplomatum Vindicias legere contigit, in id maxime propendebam, ut iſtas negligerem omnino & ſilentio prætermitterem. Quid enim neceſſe eſt opus confutare, quod quiſquis attente legerit, ſtatim ſentiet Diſceptationi noſtræ officere nequaquam poſſe! Nam cùm illud duas tantùm partes contineat, in priori quidem Auctor plerumque auras diverberat, & in debellandis monſtris, quæ ipſe finxit, inani labore deſudat: in poſteriori autem, ubi rem pro-

piùs attingit, tela intorquet partim invalida & ſine ictu, partim repulſa jam & penitus confracta; quidquid enim opponit, quod ſit alicujus ponderis, fere in Supplemento *Mabillonii legitur; atque adeo jam fuit in ſecunda Diſceptatione noſtra confutatum. Luderem ergo operam, atque actum agerem, ſi hujus Adverſarii veſtigiis omnibus inſiſtere, & in dictis ejus ſingulis confutandis immorari vellem. Quia tamen ille convicia conviciis cumulat, inſultans paſſim & plaudens ſibi; nonnulla hac in Diſceptatione ſum demonſtraturus, quæ ad reprimendam nimiam hominis confidentiam maxime viſa ſunt idonea. Diſceptationi adjungetur Appen-*

dix, brevissimam Epistolæ Dominici Lazzarini confutationem continens. Atque in his conabor pro more meo Adversarios argumentis convincere potius, quàm maledictis castigare. Quanquam si quid mihi acerbius aut durius dictum excidet, facile excusabit Lector, ut spero, cùm meminerit me cum iis viris rem habere, qui verbis injuriosis contumeliosisque scripta sua intemperanter ac sine modo referserunt.

DE

DE VETERIBUS REGUM FRANCORUM DIPLOMATIBUS,

ET ARTE *secernendi antiqua Diplomata vera à falsis*, DISCEPTATIO.

Adversus clarissimi viri JUSTI FONTANINI Vindicias.

QUanquam plane ignoro, quæ Mabillonium rationes induxerint, ut eorum Autographorum, in quibus Ars ejus Diplomatica tota vertitur, Vindicias non à se solo, sed ab altero etiam

fcribi & vulgari expeteret, aut faltem pateretur: facit tamen eruditiffimi viri autoritas & prudentia, ut id ab eo nec temerè exoptatum, nec fine confilio permiffum arbitrer. At fi celeberrimo Scriptori caufæ fuerunt, cur hujus fui belli focium & adjutorem afcifceret, vel fponte fe offerentem non refpueret; non idcirco iftud oneris ambire Fontaninus, atque etiam ultrò delatum admittere debuit. Mabillonio antequam operam fuam manciparet vir clariffimus, hæc pro fua prudentia debuit animo verfare fedulò: 1. an Difceptationem, quam ipfe erat confutaturus, fatis intelligeret: 2. an fibi cum Mabillonio, cujus partes tuebatur, fatis conveniret: denique an iis effet inftructus adjumentis, quæ hæc fpeciatim caufa poftulat. Nam fi nihil horum

Romanus Eloquentiæ Professor providit; si nec Germonium intelligere, nec Mabillonio consentire curavit; si neglexit ea sibi comparare adjumenta, quæ hæc causa requirit: profecto censendus est Mabillonii defensor minime idoneus. Hæc autem singula ita se habere facilè sum demonstraturus tribus hujusce Disceptationis partibus.

PARS PRIMA

Justus Fontaninus Disceptationem quam confutabat, non intellexit.

EOrum qui se literariis concertationibus exercent, prima cura esse debet, ut quid Adversarius affirmet, negetve, inquirant sedulo, & ad amussim ex-

pendant. Ni faciant, periculum eſt, ne auras concertando diverberent, & fruſtra tempus conſumant in iis confutandis quæ nemo docet, in iis probandis quæ non ſunt controverſa. Hoc peccati genus, mirum quam ſæpe in antiquorum diplomatum Vindiciis Juſto Fontanino exciderit. Ubique ſibi monſtra fingit, quibuſcum digladietur; quæ ne per ſomnium quidem in mentem venerant, mihi falſo imponit, ut umbram habeat, quam impune exagitet, quam certo debellare poſſit.

* Pag. 4

Quare cùm ipſe glorietur, * ſe concertationem hanc ingredi *veritatem venando*; non inepte conferri poteſt cum quibuſdam inexercitatis venatoribus, qui ubicumque frondes motari proſpexerint, prædam adeſſe rati in-

torquent tela, pharetramque exhauriunt, ut ventos verberent. Sic *veritatis venator* infœlix ſæpiſſimè larvam ſequitur; nec ea confutat, quæ à me reipſa dicta ſunt, ſed quæ dicta eſſe ſibi falsò perſuadet. Atque hoc ut ſit omnibus manifeſtum, pauca de multis exempla ſeligo.

CAPUT I.

Diſceptationis Diplomaticæ titulus à Fontanino non intellectus.

SI ab eo, qui Diſceptationem meam confutare aggreditur, exigam, hujus titulum ut ſaltem intelligat: eritne dura nimis & iniqua conditio? At ſi ne hanc quidem conditionem ſervare poſſit, quo tandem in loco erit habendus? Atqui hoc ipſum eſt,

quod Fontanino contigisse dico. Mabillonianorum diplomatum Vindicias contra editam à me Disceptationem scripsit, non intellecto Disceptationis meæ titulo. Videbitur istud multis incredibile; & tamen, ut ipsius Adversarii verbis utar, * *tam verum est quàm quod verissimum.*

* Pag. 66.

Liber meus sic inscribitur, *De veteribus Regum Francorum diplomatibus, & Arte secernendi antiqua diplomata vera à falsis Disceptatio, ad R. P. D. Joannem Mabillonium.* Quibus verbis significatum volui, acturum me & disceptaturum, de iis dumtaxat vetustis diplomatibus quæ Mabillonius edidit, & de eâ Arte quam instituit: nec videntur verba mea aliud significare posse. Verùm se offert interpres novus, qui in mentem meam penitiùs introspi-

ciat, quàm ipse introspexerim, qui libri mei titulo sensum affingat, nec mihi, nec cuiquam alteri, ut puto, prius cognitum; qui affirmet his verbis *de Arte secernendi antiqua diplomata vera à falsis Disceptatio*, promissum esse *magno hiatu* *, ita enim loquitur, *traditurum me Artem secernendi antiqua diplomata vera à falsis*. Ita-ne *publicus in Romano archigymnasio Eloquentiæ Professor*, dictionum Latinarum vim & potestatem non percipiat? * Pag. 67.

Qui hoc onus in se suscipit, ut Artem Diplomaticam tradat: sic librum suum inscribere debet: *Ars Diplomatica*, sive *Ars secernendi antiqua diplomata vera à falsis*. At libro suo qui titulum hunc apponit, *Disceptatio de Arte secernendi antiqua diplomata vera à falsis*, non idcirco significat

se Artem hanc traditurum, sed indicat se dê hac Arte acturum esse & disceptaturum. Quia Fontanini liber inscribitur, *Vindiciæ diplomatum*, Mabillonianorum scilicet: ut significarem *Vindicias illas* esse à me examinandas & confutandas, volueram opus meum sic inscribere, *de Mabillonianorum diplomatum Vindiciis Disceptatio.* Factum bene, quod consilium hoc abjecerim; nam titulo illo Fontaninus existimasset Mabillonii Vindicias promitti: atque ubi sensisset Mabillonii Vindicias à me non scriptas esse, sed impugnatas & disjectas; rursum exclamasset, ut nunc facit*, *me consulto consilio Lectoribus meis illudere voluisse.*

* Pag. 66.

Hîc tamen Fontaninus meminerit *parciùs ista viris esse objicienda.* Qui alterum commissæ

consulto consilio fraudis accusat, si accusationem non probat, fraudis ipse vel saltem imprudentiæ reus censetur. Ipsum ergo Fontaninum interrogemus. Exponat quid tandem causæ sit, cur dicat *me consulto consilio Lectoribus illudere voluisse.* Scilicet in fronte Disceptationis pollicitus sum, acturum me *de Arte secernendi antiqua diplomata vera à falsis.* Ita est, ut Fontaninus monet: de Arte diplomatica disputaturum me promisi: & disputavi etiam, ni fallor; atque adeo steti promissis, & fidem liberavi. Instat Adversarius: *Germonius*, inquit ille, *pollicitus acturum se de Arte secernendi antiqua diplomata vera à falsis, egregium hunc titulum in singulis paginis etiam iteravit. Et tamen (Dii vestram fidem!) tam verum est quam quod verissi-*

mum, ipsum nullam prorsus Artem tradere voluisse. O virum acutum! qui non sentiat quantum hæc duo differant, Artem tradere, & de Arte ab alio tradita disputare. De Arte quidem diplomatica disputat, qui vetera Autographa solicitè expendit, ut ex iis præcepta Artis diplomaticæ eliciat: sed de eadem Arte pariter disputat, qui in præcepta ab aliis tradita sedulò inquirit, & ostendit nec certa esse nec vera.

Indubitata Artis diplomaticæ præcepta aliis tradere, cum scirem mearum non esse virium: istud saltem curavi, ne falsis aut incertis aliorum præceptis in errorem abducerer. Quemadmodum enim in moribus sapientes admonent, ut quibus bene facere non potes, saltem ne noceas; & ubi locus non est virtutum offi-

ciis, ſaltem vitia declinentur: ita etiam qui ſtadium literarium currunt, duo hæc ſibi proponere debent, ut verum aſſequantur, ſi poſſunt; ſin minus, ſaltem à falſo declinent. Igitur cujuſque Artis pars gemina eſt. Prima, quæ ſumma eſt & nobiliſſima, latentem veritatem detegere & detectam aliis manifeſtare: altera, errori, ut fugiatur, veritatis larvam detrahere. Optandum quidem eſt ut qui de Artibus diſceptant, utramque hanc partem impleant. Non eſt tamen exiſtimandum, quod, qui acturum ſe de Arte aliqua pollicetur, ille fidem ſuam obliget ad utramque hanc partem ſimul præſtandam: fidem ſuam liberat, modo alterutram præſtet. Quamobrem etſi nunquam in me ſuſcepi, quod in Arte diplomatica ſummum eſt, præſtantiſſimum, atque

difficillimum, ut certa & indubitata hujus Artis præcepta traderem: quia tamen id quod magis erat in promptu ſum executus, & oſtendi tradita à Mabillonio præcepta, nec ſatis firma eſſe, nec vera; potui pro jure meo in fronte diſceptationis meæ polliceri acturum me *de Arte diplomatica.* Qui me ideo fraudis accuſat, vel ipſe reus eſt fraudis, vel quod malim credere, vim verborum quibus Diſceptationis meæ titulus expreſſus eſt, non ſatis intellexit.

Caput II.

Diplomaticæ Disceptationis scopus à Fontanino non intellectus.

FOntaninus ſtatim operis ſui initio aggreditur Diſceptationis Diplomaticæ ſcopum, ipſumque ait *ab antiquitate & ſummorum virorum conſenſu eſſe quammaximè alienum*. Rectè quidem & ordine à ſcopo Diſceptationis, quam parabat refellere, exordium duxerat; ſi modò verum Diſceptationis ſcopum attingeret, nec fingeret falſum, in quem tela dirigeret. Pag. 4.

Hæc diſceptationis noſtræ ſumma, hic unus ſcopus fuit *, *examinare, an illa ex quibus Mabillonius Artis diplomaticæ principia repetit ac regulas, Autogra-*

* *Diſcept. de veter. Reg. Franc. diplom. p. 9.*

pha indubitatæ sint fidei, & hujusmodi, ut nullo pacto venire possint in controversiam. Qui certè scopus dici non potest *ab antiquitate & summorum virorum consensu quammaximè alienus*, nisi ab eo qui contenderet, aut veteres ac summos viros non requirere, ut Ars diplomatica firmis & inconcussis fundamentis superimponatur; aut illos unanimi consensu judicare, producta à Mabillonio Archetypa esse indubitatæ fidei. Atqui utrumque ineptum est; utrumque apertissimè falsum: factamque sibi injuriam merito conquereretur Fontaninus, si ipsum in tam absurda delapsum esse temerè contenderem. Quî ergo fieri potest, ut Disceptationis nostræ scopum dicat *ab antiquitate & summorum virorum consensu quammaximè alienum?*

Scilicet cùm ita ſcripſit, quis noſter ſcopus fuiſſet, aut neſcivit, aut non attendit.

Enimverò illo ipſo in capite in quo hoc ſuſcipit demonſtrandum, tria mihi crimini vertit à mente mea quammaximè aliena. Quæ tamen cùm fusè & unicè proſequatur, conſequens eſt, ut Diſceptationis noſtræ ſcopum his ipſis contineri exiſtimaverit. Singulas criminationes ab ipſo audiamus.

1. *Nollem medius fidius*, ait, * *universi Germonii libelli non ultima dos ea eſſe videretur, ut ſpecie aliud agentis putaretur, in id potiſſimum incubuiſſe, ut evinceret, in celeberrima illa arce pietatis & doctrinarum apud Gallos, Cænobio inquam Sancti Dionyſii, officioſis quibuſdam fraudibus prædiorum dominium apud Eccleſia-*

* *Vind. dipl. pag. 4.*

rum Antistites & Galliarum Monarchas obtrudere justo sacramento licere creditum fuerit. Quod istæc oratio perplexior sit & minùs accurata, quàm publicum eloquentiæ Professorem deceat, nihil jam moror. Sensum, quantùm in tam densa caligine licet, investigemus. Ea Fontatini mens est, si bene auguror. Dolere se jurat, quòd tota Disceptatione in id potissimùm incubuisse videar, ut evincerem Monachis Dionysianis olim persuasum fuisse, quòd sibi licitum esset instrumenta spuria Regibus sacrisque Antistitibus obtrudere, atque per hanc fraudem prædia non sua invadere.

Porro hanc ejus mentem fuisse idcirco conjicio, quòd non alia hoc in loco videatur esse ejus sententia, quàm quæ in capite sequenti repetitur verbis paulò cla-

rioribus: *Quos donationum titulos*, ait, *quum Germonius lutulentis apocryphorum sordibus accensere moliatur, crimen nulla cæde piandum Sandionysiano monasterio impingere necesse est, quasi ejus alumni veris juribus antiquitus destituti, adulterina hujusmodi monumenta consultò procudere studuerint, ut supposititiis tabulis Antistitum & Regum judicia per summam fraudem eluderent, & prædiis malè partis tutius fruerentur.* * Pag. 13.

Videat, quæso, diplomatum Vindex, quid agat, & in quas se angustias conjiciat imprudens. Ubi enim Monasterii Sandionysiani patronum se & defensorem ambitiosiùs jactat, ibi maximè causam ejus prodit. Si apud Monachos Sandionysianos, inquit, aliqua sunt instrumenta falsa,

haud alia sane de causa, olim confícta fuerunt, quàm ut suppositititiis tabulis Autistitum & Regum judicia per summam fraudem ipsi eluderent, & prædiis male partis tutius fruerentur. Ita Vindex Diplomatum pronuntiat. Atqui vel ipse Mabillonius fatetur aliqua saltem in scriniis Dionysianis reperiri instrumenta falsa & interpolata. Ergo Fontanino judice, dicendi sunt Religiosi viri saltem aliquando voluisse Antistitibus & Regibus fucum facere per summam fraudem, & prædiis male partis frui. Egregium verò Monachorum vindicem, qui ultrò reos facit summæ nequitiæ, quos excusare satagebat!

Quantò prudentius & verius Chiffletius noster censuit fictis & interpolatis instrumentis, quæ aliquando in Monasteriis occur-

runt, religioſos viros non jus indebitum ſibi quærere, ſed jus verum & jam partum, cujus tabulæ perierant, tueri voluiſſe! Quanto majori cautione & ſapientia Mabillonius ipſe * ſcribit, *aliquos per ſe renovaſſe privilegia ſua; nec fortaſſe, quæ illorum temporum ſimplicitas erat, id crimini ductum fuiſſe!* Verùm pugnet Fontaninus ipſe ſecum, pugnet cum Mabillonio, cujus cauſam agit: nihil ad me. At iſtud diſſimulare non poſſum, quod hîc objicit; mihi nempe propoſitum fuiſſe, ut Religioſis viris inferrem calumniam quam injuſtiſſimam ſemper duxi, quam ab iis ſemper amolitus ſum.

* De re dipl. pag. 27.

Nihil enim majori ſtudio caveram, quàm ne pios Monaſterii Dionyſiani Cœnobitas aliqua perfidiæ nota aſpergerem. Latere

dixi in Archivo Sancti Dionysii tabulas falsas : at quis istud neget ? Tabularum falsarum quinam fabricatores fuerint, nunquam definivi : fabricatas autem eo consilio fuisse, ut aliena prædia invaderentur, ne suspicatus quidem : imò tam iniquam, tam falsam suspicionem, quantùm in me erat, ex omnium animis avulsam volui. Quæ omnia cùm præstiterim, tamen Fontaninus putat, me toto passim libello in id incubuisse potissimùm, ut evincerem quod rejeci ; ut religiosos viros, quos ne semel quidem accusavi, sæpiùs verò defendi, summæ nequitiæ reos facerem. Quis tam apertè falsam calumniam ferat ?

Debet tamem illa Fontanino condonari ; quia ipse facti pœnitens, quod falsò exprobraverat,

mox emendavit his verbis: *abſit,* inquit,**ut hanc invidiam religioſo Diſceptatori ego temere impingam, dum illam à ſe procul amoliri ſtuduerit.* Bene habet. Palinodiam canit Adverſarius; & fatetur, quod invidiam quam in me modò conjiciebat, ipſe à me procul amoliri ſtuduerim. Brevius fortaſſe fuiſſet & honeſtius calumniam non inferre, quàm illatam ſtatim ejurare. Verùm ſi quæ falſò, nec ad rem appoſitè, in Vindiciis diplomatum ſcripta ſunt, omnia deleveris, decurtatum miſerè librum ad paucas pagellas contraxeris.

* Ibid. p. 4.

2. Alterum hoc in eodem capite crimen objicitur; unde rurſum conjici poteſt, Diſceptationis meæ ſcopum à Fontanino minimè intellectum. Arguit ille quod * *ſimulaverim ejus cauſæ*

* Vindic. dipl. pag. 7.

patrocinium me suscipere, quam Papebrochius ultrò despondit. Quæ sit dissimulatio, quæ hîc carpitur, me prorsus fugit. Speraveram * fore ut Mabillonius, cùm ipse contraria sentientem Papebrochium sine ulla Papebrochii offensione confutari posse judicaverit, mihi non succenseret modestè petenti, ut si quæ in Libro, ubi Papebrochius confutatur, difficilia occurrunt & obscura, explanaret, si quæ fortasse falsa, emendaret: Succensuit tamen ille, & Disceptatione nostrâ offensus, graviter exarsit. Quapropter non possum quin fatear, me hac in re spe mea excidisse: sed non idcirco simulatè egeram.

* *Discept. de vet. Reg. Franc. dipl. pag. 5.*

Cur ergo causam suscepi quam Papebrochius ultrò desponderat? Papebrochius desponderit,

nec ne, causam quam suscepi, nihil interest. Certum est saltem susceptam esse à me seriò, non simulatè: autographaque Mabilloniana, quæ gravioribus studiis detentus eruditissimus Hagiographus sigillatim expendere noluit, verè, non fictè à me impugnata esse. Quo igitur jure Fontaninus hîc me simulationis arguit? Explicet, si potest.

3. Denique sic concludit * Fontaninus: *dum Germonius negat primæ & secundæ Regum Francorum dynastiæ à Dagoberto primo ad Ludovicum pium autographa adhuc integra permanere: non tantùm Galliæ suæ Tabularia, & spectatissimæ famæ Scriptores, Sociosque suos doctrinæ præstantiâ conspicuos, sed etiam Italiam nostram per cuniculos tetra loligine aspergit.* Animadvertat, quæ-

* *Vind. Dipl. pag. 11.*

so, diplomatum Vindex, quid hîc statuat, quove ingenii fervidioris æstu rapiatur. Fatetur insignes viros non esse tetra loligine aspersos, nisi quatenus à me *negatum est primæ & secundæ dynastiæ à Dagoberto primo ad Ludovicum Pium autographa adhuc integra permanere.* Si ergo istud quod negatum fingit, nusquam est negatum, Disceptationis diplomaticæ scopus, vel ipsius accusatoris sententiâ, ab illo crimine absolvetur, quod ipsi erat impositum. Atqui quod Fontaninus negatum fingit, nusquam est negatum. Imò non solùm fieri omnino posse, ut aliqua etiamnum habeantur priscorum illorum temporum autographa, * disertè docui: sed etiam non dubitare me, quin reipsâ extent nonnulla, manifestè significavi ubi

* *Discept de veter. Reg Franc. dipl. pag. 26.*

*bre-

* breviter expoſui, quâ certa ratione iſtorum veritatem aut falſitatem dijudicari nunc poſſe cenſerem.

* Ibid. pag. 191. & ſeq.

Verùm ſi ita ſe res habet, quò tendit ergo tota Diſceptatio noſtra? In hoc unum ſcilicet, ut oſtendam producta à Mabillonio indubitatorum autographorum ſpecimina non eſſe hujuſmodi, ut certa ex his Artis diplomaticæ præcepta erui poſſint: nihil aliud uſquam à me tentatum eſt. Plus ergo Adverſarius legit, quàm ſcriptum erat: aut plus animo concepit, quàm legerat. Dixi in antiquioribus Mabillonii ſpeciminibus non eam reperiri veritatis evidentiam & firmitatem, quæ in iis eſſe debet, in quibus Artis diplomaticæ cardo vertitur: aliqua eorumdem temporum autographa vera haberi poſ-

se non negavi. Hæc duo si non distinguit Fontaninus, si non percipit quid sit inter utrumque discriminis, frustra scribendo tempus terit: frustra nobilissimorum Auctorum nomina ambitiosiùs accumulat, & Leonem Allatium, Lucam Holstenium, Jacobum Cujacium, Justum Lipsium, Brissonium, Lambecium, Sirmondum, Gretserum, Hagiographos Bollandianos, aliosque scriptis insignes viros nobis opponit. Quæ illi doctis suis animadversionibus & commentariis tradiderunt, non impugnavi; sed Mabillonii specimina quæ numquam viderant, de quibus siluerant, diligenter examinata aut rejeci, aut suspecta habui.

Non dissimulabo tamen hæc ipsa Mabillonii autographa, visa esse vera & genuina quatuor

aut quinque eruditis viris, qui illa eadem tanquam * *venerandæ antiquitatis relliquias osculati, calculo suo comprobaverunt.* Sed quis diplomata, quæ fortasse nec satis attentè, nec per otium excussa, aliquot docti homines semel *osculati sunt* & pro veris habuerunt, denuò examinare nefas esse dixerit? Id qui contendit, repugnat ipse antiquitati, quam violatam esse conqueritur; injuriam infert illis ipsis præstantissimis hominibus, quos laudat simul & injustos facit; temerè damnat receptam apud integerimos judices consuetudinem, qui instrumenta doctorum virorum calculo comprobata, ipsi rursum subjiciunt examini, & interdum falsa esse declarant.

* *De re dipl. lib. 3. cap. 2.*

Hæc sunt, quæ *Diplomaticæ Disceptationis scopum ab antiqui-*

tate & summorum virorum consensu quammaximè alienum esse, justo Fontanino persuaserant. In quibus cùm nihil deprehendatur, quòd ad ipsius Disceptationis scopum verè pertineat: consequens est, ut quemadmodum hujus capitis initio dictum est, concludamus, operis, quòd confutavit, scopum ab illo non esse intellectum.

CAPUT III.

Quæ de vetustissimis instrumentis in Disceptatione nostrâ dicta sunt, à Fontanino non intellecta.

FIeri omnino potuisse, ut scripta sub Merovingis Francorum Regibus diplomata ab his remotissimis sæculis ad nostrum usque autographa pervenerint, in ipso

operis ingreſſu apertè confeſſus ſum, nec unquam negavi. Id unum contendi, * àtque etiamnum contendo : non illico habenda pro ſynceris ac ſine cautione recipienda eſſe, quæcumque aliquam ſpeciem habent antiquitatis, imò eſſe expendenda eò diligentius, quo major ipſis ætas aſcribitur. Nam ut de Falſariis nunc ſileam, quibus antiquiſſimorum temporum, quorum mores minùs cogniti ſunt, imaginem impunè mentiri facilius eſt quàm recentiorum; quis non fateatur autographa quæ verè ſcripta ſunt anterioribus ſæculis, difficilius ad nos tranſmitti potuiſſe, quàm quæ poſterioribus ?

* *Pag.* 26.

Quot enim diplomatibus illis vetuſtioribus ſubeundi fuere caſus & ſuperandi, ut ad nos integra pervenirent ? Subtrahenda

fuere illorum perfidiæ & rapacitati, quorum intererat veteres Monasteriorum Ecclesiarumque chartas malè perire. Eripienda bellicis tumultibus, quibus non semel eversa sunt loca, ubi asservantur. Liberanda ab incendiis, quorum rapido furori signa ærea & marmorea interdum non restitêre. Præterea arcendæ variæ pestes, mucor, blattæ, mures, quibus papyraceas, membranaceasque chartas obnoxias facit sua ipsa nativa fragilitas.

Quæ tanta tamque obvia pericula videtur sola Custodum indefessa vigilantia providere omnia & cavere potuisse. Atqui nulla certa ratione constat veterum tabularum Custodes fuisse vigilantissimos. Credibile quidem est instrumenta donationum ab his fuisse accuratè custodita, quan-

diu timuerunt ne factæ donationes venirent in controversiam. Verùm donationibus longi temporis possessione firmatis, instrumenta quæ jam minùs putabantur necessaria, dico fuisse negligentiùs asservata. Neque Mabillonius ipse diffitetur magnam olim fuisse in custodiendis veteribus instrumentis negligentiam. **Non minùs varia est*, inquit, *diplomatum publicarumque scripturarum, quam veterum codicum sors & conditio : nec multò plura tempus edax rerum, quàm hominum incuria & iniquitas devoravit.* Igitur vel ipso teste Mabillonio, plurimæ chartæ perierunt, non modò propter injuriam temporum & iniquitatem hominum, sed etiam propter Custodum incuriam. Atque in eam rem idem Mabillonius citat Optati Mile-

* *De re dipl. lib. I. cap. VII. pag. 26.*

vitani verba, qui anteriorum temporum in servandis membranis librisque negligentiam ita reprehendit. * *Alter undis tradidit, alter rosoribus bestiis dereliquit, alius stillicidio corrumpenda neglexit, alter metu mortis territus homo homini dedit.* Si ergo instrumenta negligentiùs olim asservata sunt, non nisi difficillimè & insperato aliquo fortunæ beneficio fieri potuit, ut vetustissima hactenus perseverent. Quare si nemo dixerit instrumenta omnia, quæ vetustissima dicuntur, hoc ipso esse rejicienda: tamen nemo negaverit in examinandis illis diplomatibus quæ priscorum temporum nomen habent, diligentiam eò majorem adhiberi nunc debere, quò minor olim adhibita est in iisdem custodiendis.

* *Optat. lib 7. circa med.*

Hæc ſunt quæ fuſiùs proſecutus fueram. Quæ cùm non modò certa ſint, ſed etiam Mabillonii ſuffragio confirmata, nullum dabant Fontanino locum exerendi, quæ in adverſariis ſuis annotata habebat Veterum teſtimonia. Tamen ne collectanea hæc eruditio ſibi periret, varia proponit opinionum commenta, quæ tanquam mea impugnat fusè & confutat. Fingit me in ea eſſe opinione, ut exiſtimem *chartas & diplomata* ſolummodo * *pro viginti aut triginta annorum uſu, non in perpetuam memoriam ſemper apud poſteros duraturam tradita fuiſſe.* Quam opinionem ſi ſecutus eſſem, dignum me probris omnibus & convitiis, quibus opus ſuum Fontaninus refercit, ipſe judicarem. At cùm abſurdiſſima ſit & ineptiſſima

* Pag. 49.

hæc opinio, non debuit à Fontanino sine ulla probatione Adversario imponi.

Alia rursum opinionum commenta mihi Fontaninus tribuit. Ipsius verba recito. *Sane mirificum est*, ait, *falsa instrumenta à Custodibus conficta pro iis veris & indubiis, quæ ipsi vigilantissimè tuebantur; atque eadem adulterina & fictitia pluris æstimata fuisse quàm vera.* Ridiculum sanè & incredibile commentum, ut quis existimet, Tabulariorum Custodes cùm chartas veras & certas præ manibus haberent, his ultrò despectis & pessumdatis, maluisse supposititias fabricare, & fabricatas custodire. At commentum istud mens sola Fontanini peperit: qua autem occasione, breviter exponam.

Legerat in Disceptatione nos-

tra plures olim chartas *à Falſariis ad verarum ſimilitudinem per ſummum ſcelus eſſe confictas.* Iſtorum verborum nativus & obvius ſenſus ille eſt, ni fallor; Falſarios, cùm vera inſtrumenta deeſſent, falſa fabricaſſe, quæ verorum ſimilitudinem, quoad fieri poſſet, exprimerent. At novus diplomatum Vindex longè aliud mente concipit. Putat verborum, quæ modò retuli, hunc eſſe ſenſum, ut Clerici olim & Monachi, cùm vera adeſſent inſtrumenta, iis ſpretis & conſultò abjectis, adulterina ſuppoſuiſſe, quibus rem ſuam tueri maluerunt quàm veris & genuinis. Quæ agendi ratio cùm ſtultitiæ plena ſit, non potuiſſet à me ſine ſumma ſtultitia Monachis objici. At maximam Fontanini negligentiam fuiſſe neceſſe eſt, qui tam abſurda deliria

in Libro meo à se lecta, somniaverit.

Caput IV.

Aliis exemplis ostenditur, Disceptationem nostram non esse à Fontanino intellectam.

INter convitia, quibus Librum suum fœdavit Fontaninus, mihi exprobrat * *supinæ allucinationis fascinum*, quòd à se *averruncatum* gloriatur. Verùm cùm ita locutus est, tum maximè, ut ejus verbis utar, *allucinabatur supinè, & fascino laborabat* improbo. Quare si cui placandus fuit Averruncus, ut *supinæ allucinationis fascinum* averteret, non alteri quàm ipsi placari debuit: quòd quidem non unico argumento sum demonstraturus.

* Lib.1. cap.3. pag. 42.

I. Exhibita à Mabillonio, inquit,

quit,* *Dagoberti primi & Clodovei Junioris diplomata in cortice seu papyro niliaca non reperiri, Lectoribus suis manibus & pedibus persuadere conatur Germonius.* Ita pronunciat Fontaninus, nec locum appellans aut verba, quibus id persuadere conatus sim. Et verò quî fieri posset, ut *pedibus & manibus* istud conatus essem persuadere, quòd falsissimum esse declaraveram? Neque hæc mea declaratio obscura fuit, aut latuit adversario. Fatetur* *me ultro concedere, quòd extent in Ecclesiarum & Monasteriorum archivis chartæ barbaro quodam & obsoleto scripturæ genere in cortice & membranis exaratæ, quæ priscorum Franciæ Regum nomen præferant & habeant speciem antiquitatis.* Verùm quod mirum videri debet, qui fatetur istud ul-

* Pag. 31.
* Pag. 51.

trò à me concedi, ut reipsâ conceditur : idem tamen contendit in id me *manibus & pedibus* incumbere, ut contrarium Lectoribus persuadeam. Istud autem mirum magis, quod dum his se ipse configit antilogiis, tamen aliis exprobret *supinæ allucinationis fascinum.*

* Pag. 30.

II. Addit non * *libuisse mihi adire Sandionysiana tabularia.* Quæro, unde resciat *id mihi non libuisse.* Fecit nempe *fascinum*, quo circumvolvitur, ut non modò contraria scriberet, sed etiam ut putaret se hariolando divinare posse, quid mihi libuisset, vel non libuisset. Verùm quod Hariolis contingere solet, ipsi contigit : falsò hariolatus est. Monasterii enim Sandionysiani tabularia adire mihi libuit, quanquam inspicere non licuit. Illuc me con-

tuleram die 15. Octobris anni 1699. Aderat mecum eruditissimus Societatis nostræ Presbyter P. Gabriel Daniel: cúmque nos R.P. Domnus Michaël Felibianus totâ domo humanissimè circumduceret, venimus in conspectum illius loci, ubi veteres Monasterii chartæ reconduntur. Petii ut liceret mihi aliquas inspicere: responsum est claves non esse in promptu; neque instanti mihi aliud quicquam adjectum, quo daretur spes fore ut alio opportuniori tempore haberi possent. Quare ne urbanissimo cæteroquin hospiti importunâ petitione molestus essem, rem ulterius urgendam non putavi. Libuerat ergo mihi, quod Fontaninus libuisse negat; sed quod libuit, non licuit.

III. Pergit ille, & affirmat *ne*

unum quidem ex archetypis, quæ Mabillonius cælo & typis descripta exhibet, ad suam infelicem causam pro virili roborandam à Germonio inspectum? Istud temerè & falsò est objectum: temerè, cùm Adversarius scire non possit, quæ diplomata viderim vel non viderim: falsò, quia licet mihi non patuerint Tabularia Dionysiana, tamen verè dici non potest, ne *unum quidem ex Mabillonianis autographis esse à me inspectum.* Quanquam necesse fuisse, ut ipsa autographa inspicerem, dici non potest, nisi ab eo qui causam hanc non intelligit. Quippe cùm de Mabillonianis speciminibus mihi decertandum esset cum ipso Mabillonio; cur productis ab ipso exemplaribus adversus ipsum pro jure meo uti non possem? Ad

evertendam Artem Diplomaticam, quam Mabillonius inſtituit, ſatis eſt diplomatum ſpecimina, qualia ipſe exhibuit, examinare ſedulò, & falſa aut ſuſpecta oſtendere. Neque verò contendet Mabillonius, ut puto, diplomatum ſpecimina non eſſe fideliter à ſe ex autographis repræſentata: id enim ſi contendat, idem fateatur neceſſe eſt Artis Diplomaticæ molem eſſe à ſe impoſitam vanis nec ſtabilibus fundamentis. Jamverò ſi ſpecimina ex autographis fideliter expreſſa ſunt, de ipſis autographis non aliud eſſe poteſt judicium, quàm de ipſis ſpeciminibus; & quæcumque in his advertuntur falſitatis indicia, in illis quoque reperiantur oportet. Fruſtra ergo Fontaninus adverſus Diſceptationem noſtram præjudicium ex

eo inferre conatur, quod Mabilloniana diplomata cùm impugnavi, non ipsa autographa inspexérim, sed exhibitas ab ipso Mabillonio autographorum effigies. Hoc cùm speravit & aggressus est, non satis advertit, quid tentaret scriberetve.

At viditne Mabillonii autographa Fontaninus, qui mihi vitio vertit, quòd ea non viderim? minimè. Tamen hæc ipsa, quæ non vidit autographa, vera esse, certa, indubitata pronunciat: qua quidem in re imprudentiæ nomen effugere non potest. Nam quamvis liceat ipsum autographum, inspecto solo exemplari, habere suspectum, aut etiam arguere falsitatis: nunquam tamen licet, inspecto solo exemplari asseveranter affirmare, quòd autographum verum sit & indubi-

tatum. Ratio hujus diſcriminis manifeſta eſt. Exemplar, ſi fidele ſit, repræſentat ſtylum & contextum diplomatum, in quibus poſſunt aliqua contra mores & Hiſtoriam illorum temporum occurrere. At fieri facilè poteſt, ut nullum ſit in ipſo diplomatis contextu falſi jndicium, reperiatur autem in ſcriptura, in atramenti genere, in chartæ materia, & aliis quæ exemplar oculis nullo pacto repræſentat. Poteſt ergo ab eo qui ſolùm diplomatis exemplar examinavit, falſitas certò judicari, veritas non poteſt. Hoc Fontaninus non intellexit: & tamen aliis *ſupinæ allucinationis faſcinum exprobrat.*

IV. Solent qui faſcinatione aliquâ impediti detinentur, falſis deludi imaginibus, & arbitrari ea ſe oculis cernere quæ

nusquam sunt. Inde Lector conjiciat, utri, Adversarione, an mihi, fascinatio objici debeat. Ait* ille me *impeditum pedes tricis, pluverem in hominum oculos ambabus manibus spargere, & variis technis ac captioso sermome Lectores ludificari, ut impetum in Mabillonium faciam.* At ubinam me hoc habitu & ista tentantem vidit? Audiat Lector, & stupeat. In eo scilicet loco, ubi contendi aliam esse debuisse diplomatum, aliam librorum fortunam: vetereſque libros faciliùs ad nos pervenire potuisse, quàm vetusta diplomata. Hæc illa est assertio, quæ ipsi videtur opinionis monstrum; quæ nemini persuaderi possit, nisi *tricis, captioso sermone, technis, ludificationibus, & sparso in hominum oculos pulvere.*

* Pag. 31

V. Neque eâ re tantùm se pro-

dit hominis *fascinatio*, sed alio adhuc evidentiori argumento. Qui enim nunc mihi crimini vertit, quod plus veteribus libris tribuam, quàm instrumentis: idem postea exprobrat, quòd me magistro tradiderim, qui suppositios esse velit universos libros Græcos & Romanos, sacros & prophanos: quod quidem commentum à mente meâ semper fuit alienissimum. Si quis ergo, quod de doctissimo & piissimo Scriptore non est facile credendum: si quis tamen in ea est hæresi, ut sæculo undecimo & posterioribus fabricatos libros omnes Græcos & Latinos, sacros & profanos autumet, me certe discipulum nec habet, nec habebit unquam. Opinationem hujusmodi, ne quid durius dicam, falsissimam censeo, & maximè perniciosam. Verùm quo-

* Pag. 291.

modò fieri potest, ut tam absurdæ opinionis commenta mihi affingat Fontaninus, postquam me arguit, quod contenderim scriptos sexto & septimo sæculo libros faciliùs ad nostra usque tempora pervenire potuisse, quàm scripta eâdem ætate instrumenta? Putatne libros sæculo vix undecimo compositos, jam tum sexto & septimo exscribi & servari potuisse? Possuntne tam manifestè pugnantia excidere homini non *fascinato?*

* Pag. 22.

VI. Instat ille. *Non minùs quàm in cæteris Germonius allucinari videtur,* inquit, *dum cujusque diplomatis autographum rarò geminum, sed fere semper unicum fuisse affirmat.* De quibus, quæso, diplomatibus hic sermo erat? De Mabillonianis scilicet, quæ cum manuscriptis codici-

bus conferebantur. Mabillonianorum autem diplomatum autographa rarò gemina, fere ſemper unica fuiſſe conſtat vel ex his ipſis formulis, quas hoc in loco, magno, ſed inutili apparatu Fontaninus laudat. Ex his enim formulis duo eruuntur: primum, ſcriptas fuiſſe, ſaltem aliquando, duas uno tenore epiſtolas ſeu chartas in *concambiis*, commutationibus, aliiſque hujuſmodi pactionibus mutuis: alterum, in more poſitum fuiſſe, ut quoties duo uno tenore autographa ſcriberentur, iſtud in ipſo diplomatis contextu exprimeretur: jamverò nihil ſimile legitur in pleriſque Mabillonii diplomatibus. Illorum ergo diplomatum autographa fere ſemper unica fuere, rarò gemina. Verum unica fuerint, an gemina, nihil inte-

rest. Ut valeat instituta libros inter & diplomata comparatio, satis est quòd librorum, cùm ab auctoribus suis ederentur, exemplaria scripta fuerint quamplurima, diplomatum autographa nonnisi paucissima extiterint. Hoc enim si semel admittatur, admittere autem quis recuset? habeo id quod intendebam: nempe libros faciliùs quàm diplomata ad nostram usque ætatem pervenire potuisse.

VII. Novum *fascinationis* genus. Sexto jam sæculo receptum fuisse morem scribendi instrumenta pro Ecclesiis monasteriisque fusè demonstravit * Mabillonius, cui ego fueram hac in re apertè suffragatus, * nec semel. Id ipsum Fontaninus rursum probare * voluit: quo labore poterat profecto supersedere, nec jam actum

* *Lib. de re dipl. cap. 3. 4. & 5.*

* *Discept. 1. p. 17. 21. &c.*

* *Pag. 39. & seq.*

actum agere; præſertim cùm nihil afferat novi, ſed ea tantum, quæ Mabillonius collegit, veterum loca ipſe congerat, nec meditata ſatis, nec idoneo ordine digeſta. Quam tamen inutilis eruditionis oſtentationem homini facilè condonarem, niſi præoccupatæ mentis *faſcinatio* ipſi perſuaſiſſet, me à Mabillonio hac in re diſſentire, cùm ipſi planè conſentiam, & conſentire me ſæpiùs & apertè declaraverim. Sed Fontaninum audiamus.

Is poſtquàm ex libris *de re diplomatica* exſcripſit, quæ de donationibus monaſterio factis habentur in regulis Sancti Benedicti, ac Sancti Aureliani Arelatenſis Epiſcopi, & in illa quæ dicitur regula *Magiſtri*; atque ex iis regulis demonſtravit ſcribendorum inſtrumentorum morem eſ-

se antiquissimum, sic Adversario insultat ovans: *Possem*, inquit, * *densato exemplorum agmine, effatum Germonii amplius evertere, nisi ad averruncandum supinæ allucinationis fascinum hæc pauca sufficerent.* Putavit ergo Germonii effatum fuisse, quòd recentissimus sit scribendorum diplomatum usus; hoc enim unum evertit. Atqui neque istud uspiam effatus sum; & contrarium eodem ipso in loco, quem confutabat, conceptis verbis, semel & iterum affirmaveram. Quid indè inferas, nisi *fascinatis oculis* lectam fuisse à Fontanino Disceptationem meam?

* Pag. 41.

CAPUT V.

Quæ de Ripuariorum Legibus, Conſtitutione generali Clotarii, Ludovici Pii Capitulis Vormatienſibus dicta ſunt, à Fontanino non intellecta.

HOminum fervidioris ac minus accurati ingenii hoc vitium eſt, ut plus mente concipiant, quam cernant oculis; eaque omnia adverſariis tribuant, quæ ipſi præpopera nimis & indiligenti lectione animo imbiberunt. Id peccati genus ubique paſſim Fontaninus committit; ſed maximè in libro primo, ubi de illorum vigilantia agitur, quorum cuſtodiæ vetera olim Tabularia commiſſa fuerunt.

In Grammatophylaciorum cuſtodibus multò minorem olim,

quàm nunc, fuisse vigilantiam, ne ipse quidem Mabillonius negaverit: ut pote qui in hanc causam partim rejiciat, quòd vetustissimarum tabularum pars longè maxima omnino perierit, aliquarum vix laciniæ quædam & fragmenta supersint, paucæ admodum ex synceris ad nostram usque ætatem pervenerint. Quæ cùm certa essent & manifesta, disquirere cœpi, quænam ratio illos qui priscis temporibus vixerunt tabulariorum Custodes, fecerit negligentiores; nonnullaque observavi in temporum istorum moribus, quæ negligentiam hanc aut parere, aut saltem fovere potuerunt.

I. Prima ratio, cur negligentius olim instrumenta asservarentur, petitur ex illorum necessitate, quæ tunc minor erat, nunc lon-

gè major existit. Nunc quidem usus obtinuit, ut nemo domum, villam, aliamve possessionem emat aut vendat sine scripto instrumento. Non ita se res semper habuit. Scribendorum instrumentorum consuetudo, jam tum quinto & sexto, imo & fortasse anterioribus sæculis recepta, nondum tamen sic invaluerat, ut donationes nudo verbo absque scripto & charta factæ non reciperentur. Hujus rei varia profert Mabillonius * exempla, quæ denuò recitare cùm supervacaneum putavissem, novum adjeceram desumptum ex Ripuariorum lege. ** Pag. 44.*

At rigidus Censor Fontaninus propositum esse hoc exemplum miratur, & quærit quid Ripuariis commune sit cùm Francis. Verùm qui sic interrogat, næ ille in *Pag. 3?,*

Francica Historia peregrinus & hospes est! Nam quamvis Ripuarii propriam legem à Salica distinctam habuerint: certum tamen est ipsorum provinciam Regni Francici partem fuisse, eamque in Galliis sitam, nempe inter Mosam, Rhenum, & Mosellam, ut plerisque videtur. Certum pariter ipsorum legem Regum Francorum jussu, vel primò conditam fuisse, vel saltem recognitam. Hanc ergo quis utilem esse neget, ad explanandas, quæ sub Merovingis Regibus vigebant in Galliis consuetudines?

Ait Fontaninus, me ex Ripuariorum legibus *elicere, quòd illi verbo dumtaxat donationes suas perfecerint*. Sed fallitur more suo. Quippe disertis verbis docui receptum tunc fuisse scribendorum instrumentorum morem: idque

unum contendi morem hunc non impediviſſe, quin factæ abſque ſcripto donationes etiam tum reciperentur. Quæ cùm * eodem prorſus in loco, quem hîc Fontaninus confutat, habeantur, nec credibile ſit ipſum mala fide mihi aliud quàm dixi imponere voluiſſe: nonne conſequens eſt, ut locum hunc quem non intellexit, oſcitanter nimis & præproperè legerit?

* *Diſcep. dipl. pag. 21.*

Sed nec intellexit legem quàm laudaveram, quamque ipſe aliter interpretari atque in contrarium ſenſum detorquere voluit. In lege Ripuariorum ita ſcriptum eſt:* Si quis villam, vineam aut quamlibet poſſeſſiunculam ab alio comparaverit, & *teſtamentum accipere non potuerit*, ſi mediocris res eſt, cum ſex teſtibus, & ſi parva cum tribus, quòd ſi magna cùm

* *Tit. 6. §. 2.*

» duodecim, ad locum traditionis
» cum totidem numero pueris ac-
» cedat, & sic eis præsentibus pre-
» tium tradat & possessionem ac-
» cipiat, & unicuique de parvulis
» alapas donet & torqueat auricu-
» las, ut ei in postmodum testimo-
» nium præbeant. Si autem testes
» non potuerit congregare, ut ei
» testimonium præbeant, tum rem
» suam cùm sex sive cum septem,
» cum sacramenti interpositione si-
» bi studeat evendicare. Qua lege nemo non videt sanciri, ut præscriptus testium numerus ipsorumque producendorum ritus & forma emendæ possessiunculæ tum observentur, cùm testamentum scripto haberi & charta non potest. Contra judicat veterum diplomatum Vindex, testes quos ista lex exigit, produci debuisse coram Notariis qui testimonia

ſcripto exciperent. Cenſet videlicet conſultiſſimus legum interpres ſcriptum haberi non potuiſſe inſtrumentum, cùm reipſa inſtrumentum ſcriberetur, adeſſentque Notarii, qui teſtes audirent, & teſtimonia literis conſignarent.

II. Alteram rationem, cur ſcripta inſtrumenta putarentur olim minùs neceſſaria, repetivi ex Clotarii Regis Conſtitutione generali & Ludovici pii Capitulis Vormatienſibus; quas leges perperam à me explicatas Fontaninus * affirmat, cùm ipſe nec leges illas, nec interpretationem meam intellexerit.

* *Pag. 46.*

His legibus ſancitur, *ut de rebus Eccleſiarum, quæ ab eis per triginta annorum ſpatium ſine ulla interpellatione poſſeſſæ ſunt, teſtimonia non recipiantur.* Hinc

factum putavi, ut tabulariorum Custodes tabulas suas negligentius asservarent; quas post pacatam & minimè interpellatam triginta annorum possessionem minùs necessarias putabant; cùm scirent nemini tunc licuisse litem de re possessa Ecclesiis intendere, vel super eâ re testimonia recipere. Eò recidunt, quæcumque dixi de Legibus Clotarii & Ludovici Pii: quas tamen *à me perperam explicatas* exprobrat Adversarius. Quæ exprobratio justa esset & vera, si reipsa ipse scripsissem, quæ ille non sine stomacho confutat.

Scripsi tabulariorum Custodes, fretos beneficio Constitutionis generalis à Clotario editæ, factos esse in asservandis chartis negligentiores. Hoc prætermittit Fontaninus, ut probet tabu-

lariorum Custodes *minimè à Clotario jussos esse veteres chartas pessundare, & nulli amplius usui deputare.* Quòd quidem postremum nonnisi absurdè Clotario affingi potest: affictum autem esse à me nemo dixerit, nisi qui Disceptationem nostram, aut non legerit, aut non intellexerit.

III. Pergit Fontaninus, & Vormatiense Ludovici Pii Capitulare sic interpretatur. *Si Ecclesias,* inquit, * *triginta annorum spatio nunquam interpellatas, ad possessionis suæ jura exhibenda ampliùs non obligari præcipit Ludovicus..... numquid reliqui vetantur post triginta annos easdem interpellare & cogere ad possessionis suæ jura exhibenda?* Quibus verbis agnoscit quidem diplomatum Vindex Ecclesias, post pacatam triginta annorum possessio-

nem liberatas eſſe onere exhibendi inſtrumenta ſua; ſimul tamen contendit nemini idcirco ademptum eſſe jus Eccleſias interpellandi & cogendi ad hæc ipſa inſtrumenta exhibenda. Exiſtimat enimverò fieri poſſe, ut quis debito & obligatione aliqua liberetur, altero cui iſte obligabatur, jus omne quòd habebat, retinente: eumque verè dici poſſe beneficio legis ſolutum ab onere alicujus rei præſtandæ, quem lex non vetat cogi ad illam ipſam rem præſtandam. Hæc autem quiſquis rejicit & abſurda eſſe ac pugnantia ait, ille Fontanino judice, leges Clotarii & Ludovici Pii perperam explicat.

CAPUT

CAPUT VI.

Quæ de chartis Eccleſiæ Remenſis dicta ſunt, à Fontanino non intellecta.

NEglecta olim, nec in magno pretio habita fuiſſe antiquiſſima inſtrumenta probatum fuerat exemplo Clericorum Remenſium, qui veteres ſuas chartas ita contempſerunt, *ut illis denarios quos mercimonio conquirebant ligarent.* Rem ita narrat Hincmarus. * Caroli Principis tempore, quando propter diſcordiam & contentionem de principatu, inter eum & Ragenfridum frequentia & civilia, imò pluſquam civilia, quia inteſtina & parricidalia bella, in Germanicis & Belgicis ac Gallicanis provinciis religio Chriſtianitatis pe-

* *S. Remig. vita ab Hinc. apud Surium to. 1. die xiij. Jan. p. 185.*

„ nè fuit abolita ; ita ut Epiſcopis
„ in paucis locis reſiduis , Epiſco-
„ pia Laïcis donata, & per eos re-
„ bus diviſa extiterint : adeo ut Mi-
„ lo quidam, tonſurâ Clericus, mo-
„ ribus , actu , habitu irreligioſus
„ Laïcus, Epiſcopia Remorum ac
„ Trevirorum uſurpans inſimul ,
„ per quadraginta circiter annos
„ peſſumdederit, Cujus infelici
„ tempore de iſta Remenſi Ec-
„ cleſia non ſolum pretioſa quæque
„ ablata fuerunt, ſed & Eccleſiæ at-
„ que domus Religioſorum deſtru-
„ ctæ , & res ab Epiſcopio diviſæ.
„ Illi quoque pauci, qui erant reſi-
„ dui, Clerici negotio victum quæ-
„ rebant, & denarios quos merci-
„ monio conquirebant , in chartis
„ & librorum foliis interdum liga-
„ bant. Sicque præfatus liber cum
„ aliis partim ſtillicidio putrefactus,
„ partim à ſoricibus corroſus , par-

tim foliorum abſciſſione diviſus "
in tantum diſperiit, ut pauca & "
diſperſa inde folia reperta fue- "
rint. Hactenus Hincmarus. Ex "
cujus verbis iſtud ego conſequi putabam : Clericis Remenſibus perſuaſum fuiſſe, veteres Eccleſiæ ſuæ chartas minùs neceſſarias fuiſſe ad ea recuperanda bona, quæ impius Milo uſurpaverat : alioquin direptis à Milone & violenter occupatis poſſeſſionibus ſuis, diligenter ſaltem aſſervaſſent inſtrumenta, ſine quibus ſcirent ſe non poſſe in integrum reſtitui.

At Fontaninus ex loco Hincmari contrarium omnino colligi debere contendit : nam *Hincmarus*, inquit,* *vir ævo ſuo ſapientiſſimus, tempus, quo hæc acciderunt, infelix appellat.*. Recte quidem Hincmarus & verè. Quis

* Pag. 52.

enim infelicissimum non appellet tempus illud, quo intrusus in Ecclesiam Remensem perfidus Milo ejus bona dilapidabat, & residui Clerici Ecclesiæ damna ejusdem chartarum ac librorum contemptu & abscissione cumularent? Verùm qui istorum socordiam in conservandis libris ac instrumentis veteribus reprehendit, idem ille istud ipsum probat quòd dixeram, nempe Clericos instrumenta, quæ sic negligebant, non existimasse necessaria ad recuperandas possessiones suas.

Mihi hac in re plane assentiretur Fontaninus * *si ea pernicies in Ecclesiam Remensem manasset à Clericis, non ab iniquo Milone qui omnia destruxit.* At perniciem hanc manasse à Clericis Fontaninus cùm negat, incredibilem

* *Pag. 52.*

negligentiam ſuam prodit, qui ne verborum quidem Hincmari, de quibus diſceptatur, ſenſum animo percipere curaverit. Sic ergo iſtorum temporum calamitatem eruditus Præſul deſcribit, ut bonorum quidem direptionem eversionemque Eccleſiarum Milonis impietati, chartarum autem ac librorum jacturam ſocordiæ tribuat Clericorum: qui alia ſtillicidiis putreſcere & à ſoricibus corrodi ſinebant; aliis, quibus mucor & mures pepercerant, conquiſitos mercimonio denarios interdum ligabant.

Rurſum ſuccenſet Fontaninus, & petit *quorſum rem detorqueam, atque unius ævi & unius Eccleſiæ infortunium ad omnes reliquas mente læva populabundus extendam.* Non ego eccleſiæ Remenſis infortunium ad reliquas te-

merè extendi, sed ipse extendit Hincmarus; cùm ait Caroli Principis ætate *in Germanicis, Belgicis, & Gallicanis provinciis religionem Christianitatis penè abolitam: Episcopos in paucis locis residuos, Episcopia Laïcis fuisse donata.* Quibus verbis apertè demonstrat tunc plurimas Germanicas, Belgicas, Celticasque Ecclesias iisdem afflictas fuisse calamitatibus, quibus Remensem ac Trevirensem Milo vexavit. En quo teste infortunium Ecclesiæ Remensis ad plerasque Galliarum & Germaniæ Ecclesias transferam. Testimonium Hincmari res ab ævo suo non longè dissitas narrantis si Fontaninus gravatur legere aut expendere, desinat saltem super illo negotium iis facessere, qui legerunt & expenderunt.

Hactenus demonſtratum eſt, ut opinor, Diſceptationem quàm Fontaninus confutatam voluit, non eſſe ab eo ſatis intellectam: inquirendum nunc eſt, utrum idem cùm Mabillonio, quem defendit, conſentiat

PARS SECUNDA

Fontaninus cùm Mabillonio, cujus cauſam tuetur, non conſentit.

SI duo patroni in foro eamdem cauſam perorent, nec inter ſe conſentiant, vel hâc ſua pugna adverſario litem quodammodo adjudicare cenſentur. Idem facit Fontaninus; Mabillonii, cujus vindicem ſe jactat, cauſam non rarò deſerit, opiniones

non sequitur, dicta confutat. Atqui tamen mirare hominis ingenium: quem ipse non semel erroris accusat, hunc ab aliis reprehendi non sinit: iis succenset, qui traditas ad eodem regulas examinant & in dubium revocant. Quod quàm iniquum sit, non necesse est pluribus dicere. Satis est, si pauca de multis proferamus exempla, in quibus Fontaninus Mabillonio repugnat.

C A P U T I.

Diplomata spuria ex his quæ olim conficta sunt, aliqua ad nos pervenisse Mabillonius fatetur, Fontaninus negat.

SUperesse etiamnum in veteribus tabulariis diplomata quædam ex iis, quæ olim à Falsatoribus fabricata sunt aut viciata,

luce ipsâ clarius est, & disertè affirmare videtur Mabillonius. *Non nego*, inquit, * *quædam esse apud Dubletum vel omnino falsa, vel interpolata, vel dubia, tum primæ stirpis, tum secundæ.....* Hoc ipsum paulò post repetit, & ait inter chartas à Dubleto editas, videri sibi malæ aut dubiæ fidei *ex Dagobertinis & Clodoveanis quasdam: ex iis quæ Pipini, unam, quæ de Constramno Abbate est, viciatam: ex Carolinis tres, quæ paginis 722. 725. & 727. habentur falsas esse.* Rursum alio in loco * docet *Collegia prope nulla, paucissimas Ecclesias, aut familias immunes esse ab hac spuriorum instrumentorum labe.* Tum verò sic pergit: Ejus generis sunt chartæ Canonicorum Halesacensium apud Coccium..... alia item Canonicorum Sancti A-

* De re dipl. pag. 223.

* Pag. 242.

» redii in Miscellaneis Labbeanis
» ..... Sancti Hilarii Pictaviensis
» pro Vienna & Arelate in Histo-
» ria Provinciæ..... Alia itidem a-
» liarum Ecclesiarum in variis Ita-
» liæ sacræ tomis, quale est diplo-
» ma supposititium Theodosii Ju-
» nioris in tomo 2..... His adde
» Bullam Leonis IX. pro Sancti
» Mauritii Ecclesia Agaunensi apud
» Guichenonem..... Sed tempe-
» randum est ab invidioso catalo-
» go.

Neque vero objiciat Fontaninus hîc sermonem esse de solis apographis, non vero de instrumentis, quæ speciem habent autographorum. Id enim si contendat, audiat Mabillonium eo in loco quem modò laudabam, sibi respondentem. *Non me fallet,* inquit, *impostoris larva sub corticis specie, aut ementita scriptura*

antiquitate. Quibus verbis ſatis indicat doctiſſimus Antiquarius, ſe in ea eſſe opinione, quòd extent adhuc aliquot chartæ ſpuriæ, quæ autographorum effigiem gerant, & hominem minùs eruditum *ſub corticis ſpecie aut ementita ſcripturæ antiquitate* fallere poſſint. Vel ſi Fontaninus putat mox recitata verba aliò detorqueri poſſe, ſaltem meminerit Mabillonium 1. Hermanno Conringio aſſentiri, qui tanquam ſpurium rejicit Lindavienſe * Ludovici Pii diploma, ab impoſtore ſic concinnatum, ut ad verorum autographorum imaginem proximè accederet. 2. Eundem rationibus ſubſcripſiſſe, quibus Zylleſius * mendoſum demonſtraverat quoddam Dagoberti regis diploma. 3. Applosiſſe Chifletio noſtro, cùm reprobavit

Hiſt. vindiciæ pro Conringii Cenſura in dipl. Lindav. pag. 19.

* *De re dipl. pag. 19.*

chartam, qua privilegium à Gregorio magno concessum Abbati monasterii Sancti Medardi continetur. 4. Non iis refragatum esse, qui adulterinum esse dixerunt Childeberti diploma, quòd in regio Sancti Germani monasterio ante aliquot annos certè asservabatur, & fortè etiamnum asservatur, scriptum in cortice, atque in sigillo integro exhibens ipsius Childeberti imaginem. 5. Eundem in libro 3. *de re diplomatica** varia congessisse argumenta adversus Dagobertinum Sancti Maximini privilegium atque alia duo Caroli magni & Lotharii hujus pronepotis diplomata, quæ Papebrochius noster in propylæo edidit. Hæc omnia instrumenta, quanquam speciem habent antiquitatis, & olim venditabantur pro autographis: Mabillonius tamen

* *Pag. 218. 219 & 220.*

men partim adulterinis, partim ſuſpectis chartis annumerat: quòd certè non committeret, niſi exiſtimaret diplomata ſpuria ex antiquitùs confictis aliqua ſaltem nunc ſupereſſe. Ita judicavit vir eruditus; atque ita ſe judicaſſe ubique paſſim teſtatur: cujus judicium ſequi debuerat Fontaninus, aut ſaltem non impugnare, in eo præſertim libro, in quo Mabillonianæ cauſæ patronum ſe ac vindicem jactat.

Atqui tamen palam impugnat. Capiti quinto libri primi titulum* hunc affixit: *Diplomata ſpuria ex antiquitùs confictis nulla ſupereſſe oſtenditur.* Mox in ipſo capitis contextu verba hæc addit: * *hoc loco oſtendendum eſt, ex diplomatibus & inſtrumentis antiquitùs fabre factis nulla vel pauciſſima ſine larva detracta ad nos perve-*

* Pag. 58.

* Pag. 60.

nisse. Et ne quis credat hæc homini incauto excidisse, rem eandem rursum confirmat, & tanquam observatione dignam repetit in rerum Indice: * *Diplomata spuria*, inquit, *ex antiquis nulla supersunt*. O perspicacem Mabillonianorum diplomatum vindicem, qui illa ab injectis suspicionibus purgare non valet, quin Mabillonio suo contradicat!

* Pag. 278.

At interrogemus hominem, & petamus, cur tandem neget ulla superesse diplomata spuria ex iis
„ quæ olim conficta sunt. Recen-
„ sendum est, ait, quibus pœnis in
„ Falsarios variis temporibus ani-
„ madversum, & quâ vigilantiâ &
„ rigore chartæ suppostitiæ obli-
„ teratæ & expunctæ..... Hæc est
una ratio, cur negat ulla superesse diplomata spuria ex iis, quæ olim à Falsatoribus fabricata sunt.

Igitur probationem suam sic Fontaninus instituat, necesse est. Severis pœnis olim in Falsarios animadversum fuit : chartæ suppositititiæ, si quæ olim detectæ sunt, illico fuerunt obliteratæ & expunctæ : ergo ex suppositititiis chartis, quæ olim fabricatæ sunt, nullæ nunc habentur. Quæ argumentandi ratio si valet, pari jure licebit concludere nulla ex his quæ nunc fabricantur, instrumenta falsa ad posteros esse perventura ; quippe Judices nunc temporis severe in Falsarios animadvertunt, falsasque tabulas, quoties detegunt, dilacerant & expungunt. Nonne risum moveat, si quis tam absonum ab antecedentibus consequens deduxerit ? Sic enim ipsi respondebitur : esto, severè puniantur quicumque falsi convincuntur ; at quis dixerit

Falsarios omnes cognosci, & coram Judicibus convinci? Quis neget latere quàmplurimos, atque adeo manere impunitos? Esto etiam, lacerentur nunc à Judicibus chartæ, quarum falsitas detegitur: sed non semper locus est falsitatis revincendæ; atque adeo certum est multas ex his, quæ falsæ sunt, chartas nunc non lacerari, & ad posteros integras esse transituras. Quod nunc fit, & olim factum esse credendum est: gravissimis pœnis falsi crimen jam tum à priscis temporibus subjectum fuisse ultrò concedimus, tabulasque falsas scissas fuisse aut perforatas: sed non inde consequens est omnes olim Falsarios animadversionis severitatem expertos fuisse. Imò cùm certum sit subdolos homines in id incubuisse potissimum,

ut fraudes suas occulerent. Simile vero est perfidiam ipsorum non fuisse semper detectam: atque adeo nihil prohibet, quominùs instrumenta aliquot ex iis quæ fabricaverunt, simul cum genuinis fuerint ad nos transmissa.

Atqui tamen *omnino incredibile est*, inquit,* *chartas spurias quæ hodie circumferuntur, esse antiquissimas.* Videat, quæso, Fontaninus, quantam nostris posterioribus sæculis injuriam ultro irroget, ut his solis velit omne falsorum, quæ nunc habentur, instrumentorum crimen imponere. Quanto majori cautione & sapientia Mabillonius odiosum falsi crimen, quoad potuit, transtulit in anteriora tempora, in quorum etiam simplicitate invenit, unde crimen ipsorum si non omnino excusa-

* *Pag. 68.*

ret, saltem nonnihil extenuaret. Si eruditissimo Antiquario hac in re suffragari noluit publicus Eloquentiæ Professor, saltem non debuit apertè in eo libro refragari, in quo ipsius Vindicias suscepit.

CAPUT II.

Fontaninus injustitiæ crimen Monachis Sandionysianis imprudenter irrogat, quòd ab iisdem Mabillonius prudenter fuerat amolitus.

* Pag. 41.

HÆc Fontanini verba sunt:*
» si Monasterii Sandionysiani,
» inquit, instrumenta vetera falsa,
» haud sanè alia de causa olim con-
» ficta fuerunt, quàm ut hinc justi
» & indubitati donationum tituli
» obtrudi viderentur, quos cum
» Germonius luculentis apocry-

phorum ſordibus accenſere mo- “
liatur, crimen nulla cæde pian- “
dum Sandionyſiano Monaſterio “
impingere neceſſe eſt, quaſi ejus “
alumni veris juribus antiquitùs “
deſtituti, adulterina hujuſmodi “
monumenta conſultò procude- “
re ſtuduerint, ut ſuppoſititiis ta- “
bulis Antiſtitum & Regum Judi- “
cia per ſummam fraudem elude- “
rent: & prædiis male partis tu- “
tius fruerentur. Igitur Fontaninus “
horum alterutrum neceſſarium eſſe cenſet, ut vel vetuſta omnia Monaſterii Sandionyſiani inſtrumenta vera ſint, quòd nemo contendat: vel venerandi hujus loci alumnis crimen impingatur nulla cæde piandum: quaſi ipſi falſa inſtrumenta adornaverint ad poſſeſſiones alienas injuſtè vel invadendas, vel retinendas.

At longè aliter judicaverat ip-

se Mabillonius. In Tabulario Sandionysiano falsa aliquot instrumenta reperiri non negat: ista fabricata fuisse, ut injustitiæ robur & subsidium accerseretur, hoc verò jure merito pernegat. Tres ergo causas cùm afferat confingendorum *originalium*, præcipuas esse dixit has duas: nempe * *primo ob caducitatem veterum autographorum, quæ cùm lacera essent aut scripturæ fugientis, ad eorum imitationem alia effecta sunt:* deinde ad *supplendam veterum jacturam ex bellis, incendiis, aliisque modis.* Quæ autographa quicumque privata auctoritate sic renovarunt & confinxerunt, falsi crimen non effugiebant; propterea quòd Notariorum & personarum publicarum nomen & scripturam mentiebantur; sed non sunt idcirco injustis rap-

* *De re dipl. pag. 26.*

toribus annumerandi, siquidem diplomata falsa non alio consilio cudebant, quàm ut bona sua tuerentur, vel recuperarent. *Nec fortasse*, * ut Mabillonius admonet, *illo ævo (quæ illorum temporum simplicitas erat) id crimini ducebatur.* Neque verò idem Scriptor dissimulat * *tertiam causam alios vertisse ad subornanda diplomata falsa, ex quibus blandienti falsitati ac injustitiæ robur ac subsidium accerserent. Atque istud hominum genus*, ait, *Reipublicæ longe nocentius fuit, quàm duorum antecedentium. Hi quippe non justitiam, sed ad summum veritatem ac synceritatem lædunt; illi verò tanquam pestes exitiales, ad omnem penitus injustitiam ac nefaria quæque facinora sternunt viam.* Igitur cùm Mabillonius tres Falsariorum classes consti-

* Pag. 27

* Pag. 29.

tuat, quarum tertia cæteris duabus multò nequior, duæ verò primæ in temporum suorum simplicitate excusationem aliquam habere videntur: ipsi contradicit Fontaninus, cùm fabricatores falsorum diplomatum omnes in tertia classe collocat: nec putat falsa instrumenta aliam ob causam à Monachis esse conficta, quàm ut illi aliena invaderent, aut male partis tutius fruerentur.

Caput III.

Mabillonii judicium de Anonymo scriptore Gestorum Dagoberti I. rejicit Fontaninus.

De Anonymo Monacho Sandionysiano, qui scripsit *Gesta Dagoberti*, judicium hoc tuleram. » Quoties portenta comme-

morat & visa, * inquiebam, ut " commendet illos qui pretioso ali- " quo donario basilicam suam exor- " narunt, vix esse audiendum reor. " Neque enim ea narrat, quorum " ipse testis fuerit, aut quæ ab ido- " neis testibus acceperit. Sed vel " sparsos in vulgus rumores colligit " imprudens, vel describit veterem " chartam, quàm dicebant esse Au- " doëni, & quam Audoëno minimè " tribuendam fabulæ quibus refer- " ta est, apertissimè convincunt. " Verùm quando idem Scriptor " citat Præcepta Regum, quæ in " Monasterii sui Tabulario vide- " rat, quando illa enumerat & ex- " scribit, plenam ipsi fidem haben- " dam contendo: ea enim exhi- " bet nobis, quæ tractabat manu " quæ oculis percipiebat.

* *Discept. 1. p. 10.*

Hæc ego de scriptore Anonymo: quod judicium reprehendi

non poteſt, niſi ab eo qui Geſta Dagoberti primi nunquam legerit, quique exiſtimet Hiſtoricum à vero aberrantem in iis quæ ex aliorum relatu didicit, pariter in iis allucinari, quorum ipſe teſtis eſt. Certe non ita de Anonymo ſenſit Mabillonius. Quippe Annalium ſuorum * libro duodecimo affirmat Scriptorem hunc nec eſſe probandum in omnibus, nec in omnibus rejiciendum: non eſſe probandum, cùm varios rumuſculos colligens veris fabuloſa intermiſcet: non eſſe rejiciendum, cùm inſtrumenta domeſtica quæ viderat, laudat & exſcribit. Non aliud ego ſtatueram, nec aliam Anonymo auctoritatem tribueram, quàm quæ eidem à Mabillonio conceditur.

* *Pag.* 340.

Quid faciat Fontaninus? Mabilloniine, cujus Vindicias ſcribit,

bit, veſtigiis inſiſtat? & cùm erudito viro Anonymum fabulas recitantem ſic explodat, ut eundem de Monaſterii ſui inſtrumentis, quæ viderat, teſtimonium dicentem audire non recuſet? Hoc quidem conſilium æquiſſimum eſt, & prudenti homine dignum. Fontanino tamen non placuit. Mabillonium multò meliùs vindicatum putat, ſi mea dicta omnia condemnaverit, etiam illa quæ Mabillonius approbaverat. Anonymo igitur fidem omnem adimit, atque audiendum negat in iis quæ ad ſcrinia Sandionyſiana pertinent. Quamobrem poſtquam aliquot ejus allucinationes partim à me, partim à Cointio obſervatas exſcripſit, ſic tandem concludit: * *has paucas allucinationes ſufficere puto, ad oſtendendum quàm fluxæ ſi-*

* Pag. 13?

dei Scriptori nitatur Germonius pro evellenda instrumentorum auctoritate, quorum ipse Anonymus Sandionysianus non meminit, dum ea quae de industria scribenda suscepit, nempe Gesta Dagoberti primi & illius filii Clodovei secundi, putidissimis fabulis & metachronismis ubique deturpavit. O novam & inauditam hactenus argumentandi rationem! Anonymus Sandionysianus, ubi vanissimos rumores collegit & secutus est, *Gesta Dagoberti* putidissimis fabulis & metachronismis deturpavit: ergo idem fluxæ est fidei, etiam cùm monasterii sui instrumenta, quæ præ oculis habebat, citat & exscribit. Si publicus Eloquentiæ Professor sibi fas esse putat sic argumentari, liceat nobis contraria sentientem Mabillonium hac in re sequi, & Anony-

mo fidem denegare quidem, quoties nullo idoneo teste narratio ejus nititur; habere autem, quoties id quod ipse vidit, testatur.

Caput IV.
De Radoberto Majore-domus. Fontaninus cum Mabillonio non consentit.

Clodoveano diplomati, inquit * Fontaninus, *inter alios Magnates subscribit vir inluster Radoberto Major-domus : quem tamen nunquam fuisse in rerum natura hariolatur Germonius.* Eo loci non Germonius, sed Fontaninus hariolatus est : & quidem falsò, pro more suo. Si quis enim petat ubinam dixerim Radobertum *nunquam fuisse in rerum natura :* quid responsi hariolus noster redditurus sit ? Obmutescat

* Pag. 159.

necesse est. In Disceptatione nostra hæc quidem verba leguntur.
* Pag. 130. * *Certum est nullum Radoberti nomine sub Clodoveo secundo Majorem-domus fuisse.* At istud qui affirmat, non idcirco negat *Radobertum unquam fuisse in rerum natura.* Fieri enim potuit, ut regnante Clodoveo aliquis vixerit Radobertus, qui tamen Majordomus non fuerit: fieri etiam potuit, ut aliquis extiterit Major-domus Radoberti nomine, qui tamen dignitate hac non potitus fuerit sub Clodoveo secundo. Horum neutrum à me negatum est: hoc unum certum esse pronunciavi: ex iis qui præfecturam palatii gesserunt regnante Clodoveo secundo, nullum appellatum fuisse nomine Radoberti: neque istud pronuntiavi tantùm, sed etiam ex unanimi Historicorum

veterum conſenſu certum eſſe demonſtravi ; omnes quippe, ne uno quidem refragante, teſtatum reliquerunt Ægani, qui vivente Dagoberto Clodovei patre Major-domus in Neuſtria & Burgundia conſtitutus eſt, proximum ſucceſſorem fuiſſe Erchinoaldum, quem non niſi mortuo Clodoveo diem ſupremum obiiſſe, iidem Hiſtorici docent.

Sed Hiſtoricorum teſtimonium nihili facit Fontaninus, neque ullam hoc in loco rationem habendam eſſe cenſet Fredegarii cæterorumque, quos omnes ut ſequioris ævi indiligentes Scriptores rejicit & aſpernatur. Ubi ſtupendam viri inconſtantiam ſpectare licet ; nam qui * nunc Fredegarium annumerat inter *ſequioris ævi Scriptores indiligentes* : idem paucis ante paginis *

* Pag. 150.

* Pag. 137.

ultro fatebatur fidem integram Anonymum Sandionysianum mereri, quoticscumque à Fredegarii verbis & sensu non recedit. Igitur Fontanino judice, Chronicon Fredegarii cùm à me citatur, nulla fide dignum est, ut pote editum *sequiori ævo & ab indiligenti Scriptore.* At si exscribatur à Monacho Sandionysiano Anonymo, jam *fidem integram merebitur*, ut pote opus accurati Scriptoris & coævi. Ita Mabillonianus Vindex pro nihilo habet secum ipse pugnare, modò mihi repugnet.

Verùm non potuit hoc in loco mihi bellum inferre, quin ipsi Mabillonio contradiceret. Ambos componamus. Fontaninus Fredegarii aliorumque testimonium contemnit, ut suum Radoberto locum inter Majores-do-

mus Neustriæ aut Burgundiæ conservet. Hoc autem Mabillonius argumentis victus, quibus contrarium ostenderam, falsum esse confitetur. Ejus verba recito :* *Radoberti* nomine nullus « sive in Francia seu Neustria, sive « in Burgundia, sive in Austrasia « Major-domus per id tempus in- « venitur. Siquidem in Francia Er- « chinoaldus, & in Burgundia Flao- « catus sub Clodoveo juniore; in « Austrasia autem Grimoaldus sub « Sigeberto hac dignitate potiti « sunt. Restat igitur ut prædictus « Radobertus Major-domus fuerit, « si non Aquitaniæ, quæ Majorem- « domus aliquando habuit, saltem « Balthildis Reginæ. Nam & Regi- « nis suum fuisse Majorem-domus, « non alium volo magis idoneum « auctorem, quàm Gregorium Epi- « scopum Turonensem, apud quem «

* *Suppl. pag. 19.*

„ Waddo Major-domus Rigun-
„ this Reginæ non ſemel laudatur.
„ Niſi forte dixeris Radobertum
„ dici Majorem-domus eum ad mo-
„ dum, quo Childericus Leodega-
„ rium Æduenſem Epiſcopum Ma-
„ jorem-domus conſtituiſſe dici-
„ tur ab Urſino in ejus vita, id eſt
„ præcipuum Conſiliarium, ut vi-
„ ri docti explicant. Quin etiam
„ villarum regiarum Procuratores
„ nonnunquam Majores-domus
„ dicti ſunt. At potius crediderim
„ Balthildis Reginæ Majorem-do-
„ mus fuiſſe Radobertum, qui for-
„ tè non alius ſit quàm Rodober-
„ tus ſeu Chrodobertus ille Palatii
„ Comes, cui Ebroinus Leodega-
„ rium ultimò cuſtodiendum tra-
„ didit. Hactenus Mabillonius, cu-
jus verba hic fusè referre pla-
cuit, ut omnes intelligerent,
quid ſit diſcriminis inter ipſum

& ejus defenſorem Fontaninum.

Mabillonius in legendis veteribus Hiſtoricis verſatus intellexit, quanti ponderis eſſent citata à me Fredegarii atque aliorum teſtimonia: quare non auſus horum auctoritatem contemnere; aut his diploma ſuum opponere, ſollicitè viam quæſivit, quâ ſimul in cõcordiam revocarentur. Faſſus eſt Radobertum neque in Auſtraſia, neque in Neuſtria, neque in Burgundia, regnante Clodoveo ſecundo, Majorem-domus fuiſſe: quod unum veteres Hiſtorici tradidêre: ſed ait ipſum dignitatem hanc fortaſſe obtinuiſſe in Aquitania, aut apud Balthildem Reginam. Quæ conjectura feliciterne allata ſit, dictum eſt* alibi, neque hujus loci eſt examinare. Illud unum obſervandum eſt,

* *Diſcept. 2. pag. 193.*

quod ipse non neget plenam, hoc in loco habendam esse fidem Fredegario & aliis, atque id tantum satagat, ut illos cum diplomate suo conciliet. Contra verò Fontaninus Fredegarium & cæteros sugillat ut *sequioris ævi indiligentes Scriptores*, & neglectâ omni conciliationis viâ, ait Radobertum non esse ex albo Majorum-domus expungendum propter illos auctores: sed auctores illos ex Clodoveano diplomate emendandos esse & supplendos.

Caput V.

Editum in libris de re diplomatica Merovingicorum diplomatum specimen tertium Mabillonius Clotario tertio restituendum fatetur, Fontaninus Clodoveo secundo asserere pergit.

MUltorum hoc vitium est, ut errores quos ipsi in scriptis suis detexerint, palam fateantur, & ultrò emendent; notatos ab alio & objectos pertinaciter defendant. Nam sive excæcat animos contentio, & facit ut falsa judicentur, quæ sedatis mentibus vera & manifesta apparerent: sive etiam quosdam præpedit superbia, ne victi cedant, & quam alter monstravit, veritatis viam sequantur. Quidquid id est, sic multi homines facti

ſunt, ut peccatis quorum arguuntur excuſationem quærant ; ea ſi poſſunt, diſſimulent ; ſi omnino non poſſunt, ſaltem extenuare conentur. Quæ quidem ipſorum eſt imprudentia non levis : quid enim tergiverſando ac diſſimulando conſequi volunt ? Iſtud nempe ut exiſtimationem & bonam famam retineant : atqui illam maximè produnt & labefactant ; cùm pertinacia illa, qua manifeſto errori inhærent, multò majorem habeat infamiam, quam ipſe error habuerit.

Atque hoc intellexit Mabillonius, maximè in eo Supplementi capite, ubi ea retractat quæ in libris *de re diplomatica*, ſcripſerat de quodam ſemilacero Placito, in quo Rotomagenſem Eccleſiam inter & Baſilicam Sandionyſianam de medietate cujuſdam villæ

villæ exorta lis dirimitur. Placitum illud vir eruditus Clodoveo Dagoberti filio attribuerat; quamvis in eo non obscurè significetur jampridem obiisse Erchinoaldum Majorem-domus, quem tamen Clodoveo superstitem fuisse constat. Istud ego observaveram, confessusque est Mabillonius recte fuisse observatum. *Quartum specimen*, inquit, * *non exhibet nomen Regis..... Hunc esse Clodoveum juniorem conjectaveram..... At falsam esse conjecturam ex eo manifestum est, quòd Præceptum* (voluit dicere Placitum) *istud editum sit post mortem Erchinoaldi Majoris-domus sub Clodoveo, cui eum paululum supervixisse constat..... Unde hoc specimen Clotario restituendum esse melius consultus haud dubito.* Errorem hoc in loco sibi

* Suppl. p. 21.

irrepsisse vir eruditus non dissimulat: ait ipse conjecturam suam esse manifesté falsam: ingenuè fatetur Diploma editum esse post mortem Erchinoaldi: non dubitat quin Clotario tertio restituendum sit Placitum, quod ejus patri attribuerat. Neque verò ullus in Supplemento locus est, in quo magis summi viri eluceat modestia, candor, probitas, & studium veritatis.

Verùm laudem hanc nititur ipsi surripere Fontaninus. Quem Mabillonius locum *melius consultus* emendatum voluit: hunc Fontaninus sine mendo fuisse jactat. Conjecturam suam falsam ipse Mabillonius fatetur: negat Mabillonii Vindex. Ille specimen Clotario restituit: hic asserere pergit Clodoveo. Manifesta ratione adductus Mabillonius, post

Erchinoaldi mortem ſcriptum eſſe diploma concedit : inficiatur Fontaninus, & rationem quâ convictus eſt Mabillonius, tam *frivolam* * eſſe ait, *ut ne memoranda quidem eſſet, niſi jam uſque ab initio hujuſmodi rebus immorari cœptum fuiſſet.* O ſtudioſiſſimum Mabillonii defenſorem, qui Mabillonium in his defendit, in quibus Mabillonius negat ſe defendi poſſe ! O patronum veritatis amantiſſimum, qui ibi peccatum fuiſſe negat, ubi reus peccatum agnoſcit ! At fortaſſe graviſſima cauſa eſt, cur clienti patronus, Mabillonio Fontaninus adverſetur : imo leviſſima. Lector ipſe perpendat & judicet.

* *Vind. dipl.* pag. 171.

In ſemilacero Placito, ubi ſermo fuit de villa quæ vocatur in controverſiam, hæc verba ad-

duntur, *hoc Erchinoaldo quondam Majorem-domus contulerat.* Quibus verbis contenderam significari, Erchinoaldum tunc, cùm lis illa definita est, non fuisse amplius Majorem-domus ; atque adeo jam tum è vivis excessisse; siquidem dignitatem illam ad mortem usque retinuit. Illud autem ex eo confirmabam, quòd hic veterum diplomatum stylus esse videatur ; ut interjecta particula *quondam* significetur mortuus is, de quo sermo est. Ita in Theodorici diplomate pro villa Latiniaco Ebroinus, Warato, & Ghislemarus dicuntur *quondam Majores-domus*, quia jam decesserant. Ita Childebertus in Præcepto de Napsiniaco villa sic loquitur, *Germano nostro Clodovio quondam Rege.* Ita Carolomannus patrem suum defunctum appellans ait,

bonæ memoriæ Dominus & genitor Pipinus quondam Rex. Cùm ergo in Placito ſemilacero legantur hæc verba *Erchinoaldo quondam Majorem-domus*, contendi non eſſe illud editum, niſi mortuo Erchinoaldo; atque adeo non niſi mortuo ipſo Clodoveo, qui ante Erchinoaldum diem ſupremum obiit. Quamobrem dixi chartam hanc, ſi vere nomen habuit Clodovei, eſſe ſpuriam.

Rationem hanc, quæ manifeſta Mabillonio viſa eſt, *ſuſque deque habendam* cenſet Fontaninus. Cur ita ? negatne interpoſita hac particula *quondam* mortem illius deſignari cujus nomini adjungitur ? minimè. An fortè exiſtimat Erchinoaldum dignitate Majoris-domus non eſſe ad mortem uſque potitum ? neutiquam. Cenſet fortaſſe

Clodoveum Erchinoaldo fuisse superstitem? nihil horum asseverat. Quid ergo? Dicit non significari, *quòd Erchinoaldus quondam fuerit Major-domus, sed quod portio villæ quondam collata fuerit Erchinoaldo Majori-domus;* vel potius ab Erchinoaldo Majore-domus. At particula hæc QUONDAM in diplomatis contextu non conjungitur cum hac voce *contulerat*, sed inter duas voces has *Erchinoaldus* & *Major-domus* interponitur hoc modò: *Erchinoaldo quondam Majorem-domus*. Ita est, inquit. *Sed quid mirum particulam* QUONDAM *à barbaro scriba in ipso Præcepto* (id est Placito) *eò quo non oportebat translatam?* O acutum conjectorem! o commodum diplomatum interpretem! quem si semel audias, nihil est tam dissonum,

tam abſurdum, quòd ſuſpicione falſi non liberaveris. Unum tamen non advertit conjector noſter: nempe cùm tota lis fuiſſe videatur de villa cujus medietatem unam Erchinoaldus Rotomagenſi Eccleſiæ, alteram Baſilicæ Sandionyſianæ contulerat, ad dirimendam litem ipſum Erchinoaldum, ſi quidem tunc ſuperfuit, advocandum fuiſſe, ut definiret quid & quantum cuique Eccleſiæ donatum voluiſſet. Atqui tamen non ipſe conſulitur, non ipſe advocatur; ſed interrogatur filius ejus Leudeſius, tanquam paternæ voluntatis interpres fideliſſimus. Occiderat ergo tunc Erchinoaldus.

Aliam rurſum explicationem in medium affert Fontaninus. *Erchinoaldus*, inquit ille, *fuit primo Major-domus in ſola Neuſtria:*

Deinde defuncto Flaocato fuit Major-domus etiam in Burgundia. Mortuo demum Rege Sigeberto, conjectoque in vincula Grimoaldo, idem Erchinoaldus per Austriam quoque fuit Præfectus Palatio, gessitque Majoratum-domus in Francia universa. Quid tum? An idcircò ipso vivente dici potuit, *Erchinoaldus quondam major-domus?* Esset fortasse illud tolerabile, si cùm Præfecturam palatii Austriæ adivit, exuisset Præfecturam palatii Neustriæ vel Burgundiæ: sed cùm trinam illam præfecturam simul possederit, & nova accedente priores non abdicaverit, nullo sensu potuit ante mortem dici *quondam major-domus*. Sed quid ego in iis immoror, in quibus defendendis, si ultrà perstiterit, invito Mabillonio, Fontaninus fidem om-

nem apud viros probos & eruditos perdat neceſſe eſt.

Caput VI.

Bertharium Majorem-domus anno Chriſti 687 à ſuis eſſe interemptum Mabillonius docet, negat Fontaninus.

MIrum eſt, quò ſtudium contradicendi Juſtum Fontaninum abduxerit. Præclarè vindicatum Mabillonium ſuum arbitratur, ſi quæcumque in Diſceptatione meâ leguntur, quamvis certiſſima & omnium Hiſtoricorum auctoritate atque ipſius Mabillonii conſenſu firmata; pertinaciter ipſe negaverit.

Multa ſunt argumenta, quibus falſitas demonſtratur illius diplomatis, quo Thēodericus anno Regni decimo ſexto dicitur vil-

lam Latiniacum monasterio Sandionysiano concessisse. Hæc autem inter argumenta non ultimum locum obtinet, quod ex iis verbis repetitur: *Nos ad suggestione inlustri viro Berchario Majorem-domus nostro..... ad integrum ipsa villa Latiniaco ad ipso monasthirio domni Dionysiæ die præsente visi fuimus concessisse.* Rogavi quonam pacto fieri posset, ut Theodericus anno regni decimo sexto donationem faceret ad suggestionem Bercharii, sive Bertharii Majoris-domus, qui ante duos aut tres annos occisus fuerat. Bertharium occisum esse anno Theodorici saltem decimo quarto, fortasse decimo tertio sic ostenderam.

Pipinus Heristallensis dictus, Ansegisi & Beggæ filius, S. Arnulphi ex patre, Pipini senioris ex

matre nepos, pater autem Caroli Martelli, ac Pipini Regis avus: Pipinus, inquam, Heriſtallenſis *non niſi* * *poſt occiſum Bertharium ſuſcepit præfecturam Franciæ Occidentalis, cum antea ſolis Auſtraſiis præeſſet*. Iſtud ipſum in vitâ Pipini ab antiquo Auctore ſcripta habetur his verbis: * *interempto à ſuis Berthario, Pipinus principatum ejus à Rege pactione pacis extorſit*. Similia leguntur in Erchamberti * fragmento, apud Continuatorem * Fredegarii, in Geſtis Regum * Francorum, & in fragmento Hiſtorico incerti Auctoris * apud Andream Ducheſne. Nec ullum eſſe reor Hiſtoricum ac ſcriptorem veterem, qui aliter ſcripſerit.

* *Diſcept. 1. de vet. Reg. Franc. diplom. pag. 180.*

* *Apud Andr. Duch. tom. 1. p. 799.*

* *Ibid. tom. 1.*

* *Cap. 100.*

* *Cap. 48.*

* *Tom. 1. pag. 783.*

2. *Idem Pipinus rexit utrumque populum Franciæ Orientalis & Occidentalis annis viginti ſep-*

tem. Ita * Cointius post illos, quos superius memoravi veteres Historicos. Imo Annales Metenses annis 27. addunt menses sex.

* *Ann. Eccl. tom. 4. p. 176.*

3. *Idem Pipinus mortuus est anno Christi 714.* Istud legimus in Erchamberti fragmento, & in aliis ejusdem ævi Scriptoribus. Id ipsum Mabillonius disertè docet. *Anno 714,* * inquit, *Pipinus Heristallensis extremum diem Jopilæ absolvit medio mense Decembri, hoc est, 17. Kalendas Januarii.*

* *Ann. Bened. tom. 2. lib. 19. p. 36.*

4. Hæc cùm ita essent, concludebam Pipinum Franciæ Occidentalis Majorem-domus ac Rectorem factum fuisse saltem anno 688. Ab illo enim anno usque ad annum Christi 714. quo Pipinus mortuus est numerantur anni omninò 27. quibus universam Franciam rexisse dicitur. Quod si

annis

annis illis 27. addendi sunt menses sex, dicendum est quòd jam tum ab anno 687. cœperit esse Major-domus in Francia Occidentali.

5. Certum est Pipinum Præfecturam Palatii in Francia Occidentali non esse adeptum, nisi *pactione pacis cùm Theodorico Rege*, post commissam Textriciacensem pugnam, & interemptum à suis Bertharium. Bertharius ergo à suis occisus est anno Christi 687. aut saltem 688.

6. Jam verò observabam annos Christi 687. & 688. secundum Mabillonii Chronologiam, incidere in annos Theodorici Regis decimum tertium & decimum quartum. Petivi ergo quomodo fieri posset, ut Bertharius à suis interemptus anno Theodorici Regis decimo quarto, vel

etiam decimo tertio, fuerit anno ejuſdem Regis decimo ſexto auctor concedendæ monaſterio S. Dionyſii villæ Latiniaci.

Hæc ſunt quæ ego de Berthario Majore-domus dixeram: quæ non modo firmis & deductis ex veterum Hiſtoricorum auctoritate rationibus nituntur, ſed etiam ſunt ejuſmodi, ut his non putaverit Mabillonius poſſe contradici. * Fatetur ille commiſſam eſſe Textriciacenſem pugnam anno Chriſti 687. eodemque anno Bertharium à ſuis occiſum eſſe contendit. * Quæ rectè ne, an ſecus, cum Theodorici Præcepto concilientur, alibi * eſt examinatum. Iſtud nunc obſervare ſufficiat. Mabillonio certum videri, quòd Bertharius anno Chriſti 687. è vivis ſublatus fuerit, hoc eſt, eodem illo anno quo à Pipi-

* *Suppl. p. 22.*

* *Ibid.*

* *Diſcept. 2. pag. 249.*

no apud Textricium victus est & fugatus. Nunc quid sentiat eâ de re Fontaninus, inquiramus.

Omitto quòd hoc eodem in loco secum ipse pugnet, cùm Theodorici Regis annum XIV. ad annum æræ vulgaris 688. refert, simulque ait ejusdem Regis annum decimum sextum cum anno vulgari 691. concurrere. Prætermitto etiam calumniam, qua fingit dictum à me, quod Bertharius in Textriciano prælio à Pipino occisus fuerit, quem constat ex illo prælio fugisse incolumem, nec nisi postea à suis cæsum esse. Hoc unum nunc ostendo, nempe istud ipsum à Fontanino negari, quod Historicorum auctoritas & ratio manifesta demonstrat, quod tanquam verum ipse Mabillonius concedit.

Dixeram Bertharium Majorem-

domus non multò post prælium Textriciacum periisse anno Christi 688. ut quam tardissimè, qui annus Christi est Theodorici Regis 14. atque adeo Bertharium Theodorico non potuisse anno ejus 16. suggerere, ut Latiniacum cœnobio Sandionysiano concederet.

At hîc succenset Fontaninus. *Sic nimirum*, * ait, *vel incautè, vel datâ operâ, sane utrumque invita laude, censor diplomaticus perpetuas fallacias fingere non desinit.* Quas autem fallacias? Audiamus. *Anno quidem 687.* inquit, * *commissum est prælium inter Quintinopolim & Peronam, ubi victus est Theodoricus III. . . . . sed* * *nemo non videt Bertharium post tertium Kalendas Novembris anni 691. à falsis amicis trucidatum occubuisse.* Nemo non videt!

* *Pag.* 187.

* *Ibid.*

* *Pag.* 188.

imò solus Fontaninus videt. Certè istud non vidit eruditus Cointius; non ipse Mabillonius, qui disertè ait * Bertharium à suis cæsum esse tertio anno post Waratonis ipsius soceri obitum, qui circa annum 684. contigit. Non viderunt veteres Historici, ex quibus constat Pipinum, qui anno 714. occubuit, Franciam universam annis ut minimùm 27. post Bertharii necem administrasse: quod dici non potest, si anno dumtaxat Christi 691. Bertharius occisus est.

* Suppl. p. 22.

Sed quæ tandem causa fuit, cur sibi Fontaninus persuaderet, ab omnibus videri, quod ipse solus videbat? Nimirum Anonymus Fredegarii Continuator postquam Textriciacensem Pipini victoriam recitavit, hæc verba subjungit: *sequenti tempore Bertha-*

rius ab adulatoribus falsis amicis interfectus est instigante Ansflede matrona socru sua. Hæc apud Anonymum hisque similia apud alios Historicos legi non diffiteor: quid tum? Inde enim id quod nusquam negatum est, certum redditur, nempe Bertharium post pugnam Textricianam fuisse superstitem aliquo tempore. Sed tempus illud longumne, an breve fuerit, non declaratur.

Verùm quod Fredegarii Continuator incertum reliquit, apertè definitur in vita Pipini senioris. Sic enim loquitur ipsius Auctor sanè antiquus. *Pipinus* * *bello adortus Theodoricum Regem, eum cum Berchario Duce suo ingenti prælio vicit & in fugam vertit: nec multo post interempto à suis Berchario, principatum ejus à Rege pactione pacis extorsit.* Con-

* *Apud Andr. Duchesne tom. 1. p. 799.*

tigit igitur nex Berthariii post pugnam quidem Textricianam, sed non multo post. Atque hæc antiqui Scriptoris verba, cum iis quæ de Pipini annis veteres Historici tradidêre apprimè consentiunt. Temerè igitur & sine causa Fontaninus hoc in loco à Mabillonii opinione recessit.

CAPUT VII.

Mabillonii opinionem de Caroli Magni patria impugnat sine causâ Fontaninus.

QUæ fuerit Caroli magni patria, Galliá-ne, an Germania, disceptatur inter eruditos viros. Ad Mabillonianam causam minimè pertinebat hæc quæstio: quia tamen curiosa est & scitu dignissima, Fontaninum non arguo, quòd ad illam, occasione data,

digressus sit. Quis enim nesciat Scriptoribus omnibus veniam hanc concedi, ut possint interdum à proposito sibi argumento ad aliud divertere, modò id breviter, opportunè, nec sæpius faciant? Quòd autem Fontaninus priusquam hanc quæstionem decideret, Mabillonii sui sententiam non rogaverit, aut cognitam rejecerit; quòd in eadem quæstione decidenda Germanis adversus Gallos sine ulla idonea ratione sese adjunxerit; quod promissam ab eruditissimo Pagio eadem de re dissertationem, priusquam legisset, temerè despexerit: hoc verò reprehendo. Singula ordine prosequor.

I. In urbe Aquisgrano natum esse Carolum Magnum Mabillonius opinatur, auctoritatem secutus Monachi Sangallensis, qui

in libro 2.* de vita Caroli Magni capite 30. Aquiſgranum appellat Caroli *ſolum genitale*. Cui Scriptori aſſentiens Mabillonius hæc ſubjungit: * *Ob hanc ſine dubio cauſam*, inquit, *Carolus hunc locum in deliciis habuit, ubi inſignem exſtruxit cum palatio & thermis Baſilicam, in qua ſepeliri voluit, ut idem ſepulturæ ac nativitatis locus eſſet.* Quid de eâ Mabillonii opinione ſentiendum ſit, poſtea aperiam: hoc unum nunc obſervari volo, illam ab ipſo Fontanino confutari his tribus argumentis.

* *Apud Duch. tom. 2. pag. 119.*

* *Suppl. p. 39.*

Primum eſt,* *quod Eginhardus*, ut Mabillonii Vindex exiſtimat, *locum natalem Caroli magni non prætermitteret ſilentio, ſi fuiſſet magnifica urbs Aquiſgranum*: alterum, *quod Monachus Sangallenſis non rarò ſit fabuloſus*: tertium

* *Pag. 14.*

denique, quia *idem Monachus forte ideo tradidit Aquisgranum genitale solum Caroli magni, quòd maximus Princeps hunc locum in deliciis semper habuerit, sumptuosissimis ædificiis ornaverit, & obitu suo clarum reddiderit.* Hæc argumenta quàm levia sint, quàm frivola nemo non videt. His tamen unis persuasum est Fontanino Carolum magnum non esse Aquisgrani natum. Hoc vitium homini tamen facile condonarem, si rejecta Coriphæi sui opinione, probabiliorem ipse amplecteretur. Verùm se in hac causa, ut modò dicebam Germanis adversus Gallos sine ulla idonea ratione adjungit, Carolumque ultrâ Rhenum in Germaniâ natum affirmat; quo fundamento sum brevi dicturus.

II. *Fuldensium antiquitatum*

libros quatuor ante annos fere centum vulgavit doctissimus Societatis nostræ presbyter Christophorus Brouverus: atque ex cujusdam Regiæ donationis breviario ea retulit* quæ sequuntur. *Donamus & contradimus Domino nostro Salvatori Sanctoque Bonifacio martyri, qui in Fuldensi requiescit Monasterio*, TERRAM CONCEPTIONIS NOSTRÆ, HOC EST TOTAM COMPROVINCIAM CIRCA FLUMEN UNSTRUDT, *ipsamque chortem nostram in Vargalaha, cùm omnibus compertinentiis & cùm omnibus longe vel prope positis quæ ad eam respiciunt, cum omni proprietate, sicut eam à parentibus nostris in proprietatem accepimus.* Ex quibus verbis hoc unum Brouverus colligit, nempe* *locum ubi Carolus Magnus in*

*Lib. 3. cap. 12. pag. 210.

* Ibid. p. 211.

materni corpusculi hospitio primulùm existere cæpit, in confinibus Thuringiæ & Saxoniæ situm esse circa flumen Unstrudt. Imo nec ausus est Brouverus rem omnino certam pronunciare; fortè quia regiæ donationis instrumentum non amplius apparebat, sed solum ipsius breviarium, quod facile interpolari potuit: sive hæc, sive alia causa suspicionem Brouvero injecerit, suspicio injecta est certè. Nam priusquam excerpta ex breviario verba recitet, dubitanti similis est, nec plane affirmat donatione hac conceptionis Caroli magni originem prodi; *sed donatione hâc*, inquit, *conceptionis Caroli magni origo prodi videtur.*

Quanquam hîc ego nolim tricas movere. Esto, certum sit comprovinciam circa flumen Unstrudt

ſtrudt locum eſſe, in quo uteri materni hoſpitio primum receptus fuit Carolus Magnus; at male quis idcirco contendat Carolum Magnum eodem in loco natum eſſe. Iſtud profectò nec ipſe Brouverus contendit, & falſum eſſe cenſet Mabillonius. Et verò falſum eſſe ipſa donationis verba demonſtrant: cur enim Carolus Magnus *Comprovinciam circa flumen Unſtrudt* vocaret *terram conceptionis ſuæ*, ſi ibidem non modò conceptus, ſed etiam natus fuiſſet?

Hoc ipſum quod viri doctiſſimi viderant, Fontaninus non advertit, Carolumque Magnum ibi natum ait, * ubi conceptus fuerat: atque in confirmationem hujus opinionis ſuæ adducit laudatam ab eodem * Brouvero *priſcorum hominum relationem*: quæ

* *Pag. 14.*

* *Antiq. Fuld. pag. 210.*

relatio nec magna fide digna est, nec quicquam continet, quod de solo Caroli Magni conceptu non possit facilè intelligi. Sic ergo in illa legitur: * *Ferunt priscæ ætatis homines:.... monstratum locum juxta Molam, in quo Carolum narrabant exorsum primordia vitæ suæ.* Quæ verba Carolum Magnum ibidem natum non magis significant, quàm ibidem conceptum. Adde quòd nulla argumenta probent alio in loco conceptum esse Carolum: firmissima autem, ut postea dicemus, demostrent citra Rhenum & in Gallia natum esse.

* *Ibidem.*

III. Antonius Pagius in Epistola ad Nicasium spoponderat se aliquando ostensurum, quòd Carolus Magnus in Galliis natus fuerit. Promissum viri docti Fontaninus explodit & sugillat. Cùm

enim ea retulisset, quæ de loco conceptionis Caroli Magni apud Brouverum habentur, ratus ibi natum fuisse Carolum, ubi conceptus fuerat, sic concludit ! * *Rem itaque ab octo sæculis ignoratam diligentiæ doctissimi Brouveri debemus, quidquid Antonius Pagius in Epistola ad Nicasium spondeat se in reliquis voluminibus Criticæ Baronianæ scripturum ad ostendendum, quòd Carolus natus fuerit in Galliis*. Existimat Mabillonianus Vindex rem ex Brouvero posse omnino definiri, nec putat expectandam esse Disceptationem, quam eadem de re Antonius Pagius promiserat. At promissum hoc nec mendax fuisse, nec vanum eventus demonstravit. Expetitum omnium eruditorum votis doctissimi Critici opus integrum tandem prodiit, inquo

* *Vind. dipl.*

promissa reddit, & fidem suam Pagius abundè liberat. Quippe apertè demonstrat Carolum Magnum nullo pacto dici posse natum in Germania. Cujus hic ego argumenta quàm brevissimè potero subjiciam, ut intelligat Fontaninus, quàm temere docti viri promissa exploserit.

1. Decessisse Carolum Imperatorem anno Domini 814. Indictione 7. v. Kalendas Februarii nemo jam revocat in dubium. Hoc enim legitur tam in Historicis temporum istorum æqualibus, quàm in Epitaphio ipsius Caroli, quod Eginhardus recitat.

2. In eodem Epitaphio dicitur Carolus decessisse septuagenarius. Verùm cum septuagenarii nomen tribui soleat non modò his, qui ætatis annum agunt septuagesi-

mum, ſed & illis qui ſeptuageſimum annum jam expleverunt, atque etiam uno aut altero anno ſuperaverunt : rurſum quæri poteſt an Carolus mortuus ſit ipſo ætatis anno ſeptuageſimo, an ſeptuageſimo primo, aut ſecundo.

3. Quæſtionem hanc definiunt Scriptores coævi Eginhardus & Theganus. Eginhardus in vita Caroli magni refert, Carolum, cum Aquiſgrani hyemaret, menſe Januario valida febre correptum eſſe, & accedente ad febrem lateris dolore, deceſſiſſe anno ætatis ſuæ 72. inchoato ſcilicet. Theganus verò cap. 7. ait Carolum in ſenectute bona plenum dierum perrexiſſe in pace, anno ætatis 72. indictione VII. Hoc ipſum Pagius confirmat ex Eginhardi Annalibus, ex Theodulpho Aurelianenſi Epiſcopo, aliiſque plu-

ribus Scriptoribus antiquis. Annales Petaviani contrarium habere videntur : ſed Annales iſtos hoc loco eſſe interpolatos Pagius demonſtrat.

4. Poſito ſemel, quòd Carolus deceſſerit anno Chriſti 814. ætatis autem 72. ſequitur ipſum natum eſſe anno Chriſti 742. ut rectè docuerat Adrianus Valeſius; non autem 747. ut habent Cointius, Labbeus, atque alii nonnulli, qui Annales Petavianos ſecuti ſunt. Natus eſt autem Carolus IV. Nonas Aprilis, ut Mabillonius obſervat ex veterrimo ſæculi noni Kalendario, quod Pariſiis in Societatis noſtræ Collegio ſervatur. Jam verò à 28. Januarii die anni 814. quo Carolus obiit, retrogrediendo uſque ad ſecundum Aprilis diem anni 742. quo natus eſt, numeramus annos 71.

cum menſibus ferme decem.

5. Quod hac ratione concluditur, natum eſſe Carolum anno Chriſti 742. id ipſum expreſſe docet Lambertus Schafnaburgenſis rerum Germanicarum Scriptor accuratiſſimus, qui ad annum 742. habet hæc verba: *Carolus Magnus natus eſt.* Idem legitur in lib 2. Epitomes Siffredi Preſbyteri Miſnenſis: idem in Chronico poſt Sigebertum Gemblacenſem edito: idem in vita S. Godehardi Hildesheimenſis Epiſcopi.

6. Statuto ſemel atque firmiſſimis argumentis ſtabilito anno, quo Carolus Magnus natus eſt, manifeſtè demonſtrat Pagius eum non eſſe natum in Germania, ſed in Gallia noſtra. Quippe cùm Carolus Martellus anno Chriſti 741. diem ſupremum

obierit, regni Francorum administratione inter Carolomannum & Pipinum filios suos divisâ: Pipinus autem nonnisi *anno sequenti*, ut in S. Godehardi vita legimus, *Carolum Magnum genuerit*: certum videtur Carolum in ea natum esse Imperii Francici parte, quæ patri suo regenda obtigerat, non in ea quæ patruo. Atqui Austrasia atque adeo Germanicæ omnes provinciæ Carolomanno obtigerant; Pipino Neustria atque adeo Gallicæ tantum provinciæ. Ergo Carolus Magnus non ultra Rhenum, non in Germanicis provinciis, sed cis Rhenum & in Gallia natus est.

7. Carolum Magnum eruditus Pagius natum dicit in Gallia, conceptum non dicit. Nam cùm natus sit die 2. Aprilis anni 742. conceptus fuit circa initium Ju-

lii anni præcedentis, quo menſe Martellus adhuc erat in vivis: unde fieri potuit, ut Pipinus tunc ageret in Germania, & ibi eſſet cum uxore. Sed quinque aut ſex menſibus poſt patris mortem, ipſum cum uxore commoratum eſſe in Auſtraſia, necdum rediiſſe ad ſuos, nullo pacto eſt credibile.

Igitur quanquam nihil prohibeat, quominus cum Brouvero dicamus *comprovinciam circa flumen Unſtrudt, locum eſſe conceptionis Caroli Magni*: tamen ordo temporum & veterum Scriptorum auctoritas non patitur, ut eum ibidem aut in aliquo alio Auſtraſiæ loco natum dicamus. Quare videat Fontaninus quàm prudenter Diſceptationem Pagii, quàm non legerat, rejecerit ac ſugillaverit.

PARS TERTIA

Fontaninus iis doctrinæ adjumentis, quæ hæc speciatim causa requirit, non erat instructus.

JUstus Fontaninus antequam Mabillonianorum diplomatum Vindicias susciperet, expendere debuit, iisne instructus esset doctrinæ & ingenii adjumentis quæ ista speciatim causa postulabat. Nam quamvis eruditione & ingenio ille non careat: requirit tamen hæc disputatio nostra quoddam eruditionis & ingenii genus, quo si abunde instructum fuisse adversarium dixerim, mentiar, & me Lector omnis aperto libro statim mendacii redargue-

re poſſit. Quæ enim diſceptanti homini & Mabillonianas Vindicias ſcribenti vitia ſummopere cavenda fuerunt, in hæc maximè Fontaninus incidit. Multa ex eo peccavit, quòd nec in Hiſtoria Francica, nec in Criticorum Arte ſatis eſſet verſatus; cùm tamen utriuſque accurata cognitio examinanti vetera Regum Francorum diplomata apprimè neceſſaria ſit. Erravit defectu memoriæ, cùm contraria ſcripſit, nec in una pagina ſatis eorum meminit quæ in antecedenti ſcripſerat. Labitur interdum per negligentiam, & quia vim argumentorum quibus utitur, aut verba auctorum quos citat, non ſatis diligenter perpendit, atque ex illis, quæ minimè oportet, colligit. Quæ ego omnia ſi evidentiſſimis exemplis certa fecero: ne-

mo jam dubitaverit, quin Fontaninus huic pertractandæ causæ quàm suscepit, fuerit minimè idoneus.

Caput I.

Fontaninus in veteri Francorum Historia non satis versatus.

QUotquot fere Mabilloniana diplomata sunt à me aut postulata falsi, aut in suspicionem adducta, ex eo maximè capite impugnata sunt, quòd aliquid Historiæ contrarium continerent. Quæ accusationes repelli non possunt, nisi ab eo qui in veteri Francorum Historia sit diligenter versatus. Atqui in Mabillonianis Vindiciis menda observantur plurima, quæ demonstrant antiquos rerum Francicarum Scriptores ab auctore aut omnino non

non lectos, aut negligenter admodum esse delibatos. Singula quidem menda hoc in loco enumerare non est animus: pauca è multis seligam, unde clarè intelligetur, in veteri Francica Historia Românus Professor quàm hospes fuerit & peregrinus.

I. Hæc totidem verbis habet * capite quinto libri primi. *Theodericus Clodovei magni filius ineunte sæculo septimo leges condidit, quæ Cancellario falsati testimonii auctori pollicem dextrum abscindi, & chartas falsas in judicio perforari jusserunt.* Qui sæculo septimo regnavit Theodericus, non septimo sæculo ineunte, sed exeunte regnavit: fuit ille quidem Clodovei filius, sed Clodovei secundi, non Clodovei Magni: neque leges, de quibus hîc quæstio est, condidit.

* Pag. 61.

Theodericus autem Clodovei Magni filius, qui reipsa legum, de quibus hîc agitur, primus auctor fuit, non septimo, sed sexto ineunte sæculo regnavit; ab anno scilicet 510. quo pater ejus diem supremum obiit, ad annum 534. quo ipse mortuus est.

Si quis autem scire velit, unde factum sit, ut Fontaninus putarit leges aliquas septimo sæculo conditas fuisse à Theoderico Clodovei Magni filio, quem annum Christi 534. non superasse certum est; hujus tantæ allucinationis causam facili negotio aperiam. Fontaninus apud Mabillonium legerat, eam legem, quæ *Cancellario falsati testimonii auctori pollicem dextrum abscindi præcipit*, haberi titulo 59. Ripuariarum Legum; earumque Legum primum auctorem fuisse Theode-

ricum Clodovei Magni filium. At idem tomo primo Capitularium, ubi Ripuariæ Leges referuntur, in ſuperiori paginæ parte notatum vidit annum 630. Tum verò ea quæ ex Mabillonio exſcripſerat, cum his componens quæ obſervabat apud Baluzium, indubitanter aſſeveravit Theodericum Clodovei Magni filium ſæculo ſeptimo ineunte, hoc eſt centum circiter poſt obitum ſuum annis Leges condidiſſe. Non animadvertit ſcilicet ab eruditiſſimo Baluzio editas eſſe Leges Ripuarias, non quales à Theoderico primùm conditæ ſunt, neque enim iſtæ nunc extant : ſed quales circa annum Chriſti 630. à Dagoberto primo auctæ & emendatæ prodierunt. Hoc quia non attendit, in errorem graviſſimum lapſus eſt, & Theoderici

primi regnum usque ad sæculi septimi initia protraxit. Sed alios ejusdem errores exponamus.

II. Ita ejusdem libri primi capite septimo loquitur: * *Quum Franci sive Sicambri omnium Germaniæ gentium clarissimi, primis sedibus suis, quas trans Rhenum incolebant relictis; Belgicam, Celticam & Aquitaniam, tres Galliarum provincias à Gothis pridem devictas occupassent.* Legimus quidem apud Cassiodorum & in Chronico Prosperi, Gothos Consulibus Honorio nonùm & Theodosio quintùm, hoc est anno Christi 412, relictâ prorsus Italiâ, Gallias invasisse. At cum tunc Galliæ dividerentur in quatuor partes Belgicam, Celticam, Aquitaniam & Narbonensem provinciam, Gothi solam Narbonensem provinciam

* Pag. 57.

cum Aquitaniæ parte occuparunt, Celticam vix attigerunt, Belgicam autem ante Francicæ Monarchiæ tempora ingressos esse nusquam legimus. Quæ cùm ita sint, tamen Fontaninus affirmat devictas esse à Gothis Belgicam, Celticam, & Aquitaniam; de Narbonensi provincia, quam solam vicerunt integram, ubi sedem fixerunt, omnino silet.

III. Rursus eodem in capite addit * Eloquentiæ professor, *immaniter lapsum Volffgangum Lazium, dum Austrasiam illam Francicam usque in Italiam extensam fuisse credidit, atque ideo à Paulo Diacono agrum Venetiis proximum* AUSTRIAM *appellatum fuisse..... Quippe* AUSTRIÆ *nomen toti ferme Venetiæ non à Francis sed à Longobardis inditum fuit.* Unde Veneti tractus pars

* Pag. 77.

maxima AUSTRIÆ nomen acceperit, an à Francis Austrasiis, an à Longobardis non definio: illud autem statuo, quod certissimum est, nempe Austrasios Francos prius illa ditione potitos fuisse, quàm Longobardos. Constat enim regnante Theodeberto Theodorici filio ac Clodovei Magni nepote, Austrasiis Francis jam tum subjectas fuisse, non modò Liguriam & Alpes Cottias, sed etiam ditionem Venetam fere totam, atque in illa ditione celebrem tunc urbem *Cenetam*. Hoc si nescit Fontaninus, consulat Procopium Cæsariensem, apud quem leget * *Francos pleraque in Venetos loca occupasse; & Francorum Regem Theodebertum non modò Liguriæ loca nonnulla, atque Alpes Cottias, sed etiam pleraque Venetorum loca stipendiaria*

* *Lib. 3. de bello Gothorum.*

fecisse. Consulat præterea Agathiam Scholasticum, apud quem hæc verba reperiet, * *Regnante Theodebaldo Theodeberti filio, Francos illos quibus Leutharis Buccellini frater præerat, vastatâ Italiâ pene universa, in ditionem Venetam venisse, & ad Cenestam (seu potius Cenetam) urbem per id tempus ipsis subditam, stationem habuisse, ibi deinceps in tuto commoraturos.* Quæ duo Procopii & Agathiæ testimonia magna ex parte confirmat Paulus Warnefridi, ubi ait * *Leutharium Buccellini Germanum, dum multa præda onustus ad patriam cuperet reverti, inter Veronam & Tridentum juxta Lacum Benacum propria morte esse defunctum.*

* *Hist. lib. 2.*

* *Lib. 2. de gestis Langobardorum.*

Cùm ergo antiqui Historici, non Franci, quos fortasse Fontaninus suspectos haberet, sed

Græci Francis infensi, apertè testentur, Austrasios Francos propagasse fines suos usque in Italiam, pleraque in Venetos loca occupasse, & stetisse ad *Cenetam* urbem per id tempus ipsis subditam, atque ibi in tuto deinceps esse commoratos; hæc cùm ita sint, quis Fontanini imprudentiam ferat Volffgango Lazio indignissime insultantis? *Apparet*, inquit, *immaniter lapsum Volffgangum Lazium, dum Austrasiam illam Francicam usque in Italiam extensam fuisse credidit, atque ideo à Paulo Diacono agrum Venetiis proximum Austriam appellatum fuisse.* Si quis hîc immanis lapsus est, non utique Lazii, qui dicti sui testes habet Procopium & Agathiám, sed Fontanini, qui eruditum virum tantis testibus subnixum *immaniter lap-*

sum esse, nulla ipse fultus auctoritate pronunciat.

Cætera, quæ similiter Fontaninus peccavit, hîc lubens omitto; plura aliquando exempla, si necesse sit, producturus.

Caput II.

Fontaninus in Criticorum Arte non satis exercitatus.

DEbuerat Fontaninus, priusquam in hanc palæstram descenderet, sese in Criticorum Arte studiosiùs exercere. Postulat enim hoc argumenti genus accuratissimam diligentiam: aliorumque censuram quisquis reprehendit acerbius, ipse caveat, oportet, ne justæ interea censuræ locum det. Jam verò quàm inexercitatus sit in Criticorum Arte Fontaninus, sive ubi definienda

ſunt veterum Scriptorum tempora, ſive ubi judicanda vera diplomata, geminum hoc exemplum demonſtrabit.

I. Ipſius verba recito. *In luce meridiana*, inquit, *cæcutit quicumque Aimoinum Floriacenſem Scriptore vitæ Sancti Droctovei Giſlemaro longe antiquiorem appellat.* Qui aliis cœcitatis vitium exprobrat, videat quo ipſe nomine ſit impoſterum vocandus. *Aimoinus Floriacenſis*, ait*, *non niſi*
* Pag. 195 *undecimi ſæculi auctor :* * *Giſlema-*
* Pag. 196. *rum autem vixiſſe ante ſæculum undecimum patet.* Cui vero iſtud patet ? Illi ſcilicet, qui ſoleat libros laudare, quos non examinaverit, quos non legerit. Qui enim oculos conjecerit in vitam Sancti Droctovei, vel ſtatim * animadvertet Aimoini Floriacenſis Hiſtoriam à Giſlemaro citari, at-

* Num. 2.

que adeò manifestè *cæcutire*, non illum qui Aimoino Floriacensi Gislemarum posteriorem affirmat, sed qui istud negat. Neque solum Aimoino Gislemarus dici debet posterior, sed multò posterior: si quidem Aimoinum cùm citat, ex ipsius libris ea refert, quæ habentur quidem in Aimoini Historia interpolata apud Breulium; in genuina autem apud Andream Duchesne non leguntur. Quare manifestum est Gislemarum non modò scripsisse post Aimoinum, sed etiam post interpolatorem Aimoini. Atqui Aimoini interpolator Monachus San-Germanensis, non vixit ante sæculum duodecimum: Ergo neque ipse Gislemarus vixit ante sæculum duodecimum. Atque hæc cùm sint ipsa meridiana luce clariora, tamen Fontaninus,

nec criticos metuens nec sibila, ita decidit; *in luce ergo meridiana cæcutit quicumque Aimoinum Floriacensem Scriptore vitæ Sancti Droctovei Gislemaro longè antiquiorem appellat.*

II. Præter illa quæ in libris *de re diplomatica* edita sunt vetera instrumenta, pauca aliquot alia Fontaninus laudat, & in his Pipini Regis diploma pro Monasterio Figiacensi apud Cadurcos. Verùm non videt hoc ipsum diploma spuriis, aut certè interpolatis annumerandum, si quid valent positæ à Mabillonio regulæ.

Instrumentum hoc primus ex manuscripto codice eruit Petrus Franciscus Chiffletius Societatis nostræ presbyter; erutum à Chiffletio Lucas Acherius Spicilegii tomo 13.* inseruit: Fontaninus autem ad confirmandam causam suam

* Pag. 255.

ſuam adducit, * certumque & indubitatum eſſe cenſet, cùm tamen falſum ſit aut interpolatum. * *Pag. 48.*

Diploma illud ſic incipit: *Pipinus Dei gratiâ ordinante jam Rex Francorum conſtitutus, omnibus ſanctæ matris Eccleſiæ filiis ſub poteſtate noſtrâ degentibus, æternam in Domino ſalutem.* Quod exordii genus Reges Merciorum olim uſurpaſſe Mabillonius tradit: in ſynceris Pipini aliorumque Regum, ſeu Merovingorum, ſeu Carlovingorum chartis reperiri negat. Et vero quotquot in libris *de re diplomatica* editæ ſunt, aut laudatæ Pipini chartæ, habent omnes in initio hanc formulam: *Pipinus Francorum Rex, vir inluſter: Pipinus Dei gratiâ Francorum Rex, vir inluſter.* Cùm ergo in Figiacenſi Præcepto formulam plane diverſam legeret

Fontaninus, nec ulli ex anterioribus aut proximè sequentibus Regibus, si qua Mabillonio fides est, cognitam: debuerat, si modò institutas à Mabillonio suo regulas valere putat, suspectum habere Figiacense diploma.

Quæ in contextu illius diplomatis reperiuntur partim incredibilia, partim contra mores illorum temporum, omitto ut veniam ad clausulam & notas temporum. Sic ergo concluditur istud diploma: *Datum in eodem loco, VI. idus Novembris, anno ab Incarnatione Domini DCCLV. Indictione nona, Childericus vice scriniarii scripsit.* Ubi vides non haberi annum Regni Pipini, sed ejus loco notari annum Incarnationis; quod quidem, ipso Mabillonio auctore, in genuinis Pipini & anteriorum Regum di-

plomatibus eſt ſine exemplo. Addita eſt Indictio, quæ, eodem teſte, nonniſi poſt creatum Imperatorem Carolum Magnum cœpit apponi. Nulla appoſiti ſigni fit mentio; quamvis in omnibus Mabillonianis iſtud ſignificetur. Denique omnino inſolens eſt illa ſubſcriptio: *Childericus vice ſcriniarii ſcripſit.*

Cùm ergo diploma iſtud, etiamſi ad Mabillonii trutinam expendatur, dicendum ſit ſcatere vitiis, non debuit à Fontanino pro indubitato nobis opponi: vel ſi Fontaninus ipſe inſtitutas à Mabillonio regulas ſpernit, atque ab his recedere non veretur, cur mihi ſuccenſet, quod illas impugnaverim?

Caput III.

Fontaninus frequentissimis se ipse configit antilogiis.

POstulat belli genus, quod nobis ultrò Fontaninus intulit, ut qui se in illo exercent, eorum quæ scribunt meminerint, nec se perpetuis configant antilogiis, atque aliud in uno, aliud in altero capite statuant. Vitium hoc Mabilloniano Vindici perquam familiare est.

* Pag. 9. I. Hæc ejus verba sunt. * *Non uni monasterio Sandionysiano parum æquus & bonus est præcipiti Scripto Germonius, sed universis probatissimæ fidei veterum chartarum contrectatoribus, iisdemque Tabulariis..... præ quibus jure nominandum venit sanctæ Apostolicæ sedis Vaticanum Ar-*

chivum..... Idem alibi* addit, *mordicùs Disceptatorem contendere omnia vetera instrumenta, omnia tabularia quum publica, tum privata ad unum fraudibus & imposturis quaqua versum patuisse.*

* Pag. 68.

Igitur si qua fides modò relatis Fontanini verbis habetur, bellum ego indixi non solum monasterio Sandionysiano, sed etiam universis veterum tabularum contrectatoribus, omnibusque veteribus instrumentis: imò & tabulariis ad unum omnibus, quum publicis, tum privatis; atque imprimis Vaticano Sanctæ Apostolicæ sedis Archivo: quæ tabularia fraudibus & imposturis quaqua versum patuisse dixi, temeritate certe non ferenda.

Sed videte hominis inconstantiam. Qui me modò objurgabat

de imminuta Tabulariorum publicorum auctoritate atque illata illis calumnia: idem paulò post oratione mutata exprobrat, quod publicorum tabulariorum auctoritatem plus æquo & ultra modum extollam. Affirmat nimirum me eo insaniæ devenisse, ut instrumenta quæ convicta sunt falsi, omnia mixtim, si modò in Archiva publica pridem transiissent, pro veris & indubitatis habiturus fuissem, *hoc respectu potissimo, quod ex publicis Tabulariis emersissent.*

Duo igitur hæc, quanquam extrema atque contraria inter se, mihi simul affingit Fontaninus. Objicit me tabulariis omnibus, etiam publicis, parum æquum contendere, quòd fraudibus illa & imposturis quaqua versum patuerint: idem tamen adjicit, ha-

bere me Tabulariis publicis tantam reverentiam, ut quæ cumque ex iis prodeunt, velim admitti ut vera, etiamſi manifeſtam gerant falſitatis notam. Utrumque mihi falsò & per calumniam imponitur. Tabulariis publicis nullam unquam ſuſpicionis notam aſperſam volui: cùm enim dixi Tabularia quædam fraudibus interdum patuiſſe, de privatis Tabulariis locutus ſum, publica ſemper excepi. At publicorum Tabulariorum auctoritatem cùm multo majorem eſſe dixi quàm privatorum; non idcirco contendi tabulas manifeſtè falſas, ſi modo ex publicis Tabulariis prodiiſſent, admittendas fuiſſe pro veris, *hoc reſpectu potiſſimo quòd ex publicis Tabulariis emerſiſſent.* Quiſquis ita ſentit, certè delirat. Sed quid de eo dicen-

dum, qui tam ſtulta deliramenta aliis falsò imponit?

Quid ergo docui? Iſtud nimirum: prudenter illos facere qui chartas nullam habentes in ſe falſitatis notam, & à vetuſtiſſimis temporibus ad noſtra uſque ſervatas in Archivis publicis, recipiunt ut veras & indubitatas. Quid enim ad fidem faciendam majus requirat humana prudentia, quàm ut hæc duo concurrant; primum ut nullus in charta appareat nævus; alterum ut his ſuffragetur auctoritas publica, ac teſtetur chartam iis eſſe ſcriptam temporibus quorum notam gerit?

Sed quid iſta proſequor? cùm mihi id unum hoc in loco propoſitum ſit, nimirum ut oſtendam, pugnare ſibi Fontaninum & contradicere. Docet ille * me contendiſſe mordicùs, quòd in-

* Pag. 61.

ſtrumenta ad unum omnia ſuſpecta eſſe debeant : idem * fatetur contendiſſe me, quòd earum tantummodo chartarum quæ ſexto & ſeptimo ſæculo ſcriptæ ſunt, fides laboret. Rurſum * ſcribit in ea me eſſe hæreſi, ut exiſtimem publica & privata Tabularia ad unum omnia fraudibus & impoſturis quaqua verſum patuiſſe: idem tamen ultrò * agnoſcit velle me, ut iis diplomatibus, quæ ex Archivis publicis proferuntur, fides integra habeatur. Cùm tam varia, tam contraria in uno eodemque libro, imò in uno eodemque capite habeantur, quis neget de auctore non inepte dici poſſe, quod de Tigellio quodam olim Poëta ſcribebat? *Nil æquale homini fuit illi; nil fuit unquam ſic impar ſibi.*

* Pag. 119.
* Pag. 68.
* Pag. 69.

II. Interpolata aut etiam om-

ninò spuria instrumenta non pauca reperiri in veterum Monasteriorum & Ecclesiarum Tabulariis certissimum est, neque Mabillonius dissimulat. De his sic Fontaninus. *Si quod instrumentum*, inquit,* *in cortice arboris scriptum, vitio interpolationis non ubique syncerum esse deprehenditur, illud idem olim ex legitimo & vero, sed caduco & pereunte, citra fidei publicæ adulterandæ voluntatem exscriptum, suppletum, atque interpolatum fuisse putandum est.* Verè hoc quidem & rectè, si modò constanter. Geminam enim vel in his paucis verbis antilogiam observare licet. Prior in eo posita est, quod Fontaninus qui antea scripserat, *instrumenta falsa si quæ sunt, haud alia de causa olim conficta fuisse, quam ut juribus veris destituti Monachi Antistitum*

* Pag. 64.

& Regum judicia per fraudem eluderent & prædiis male partis tutius fruerentur : idem jam Monachis factus æquior ſcribat, *inſtrumenta, ſi quæ vitio interpolationis laborant, olim ex legitimis & veris citra fidei publicæ adulterandæ voluntatem exſcripta, ſuppleta atque interpolata fuiſſe.* Altera antilogia eſt, quòd Fontaninus poſtquam ſuperius * probare conatus eſt *diplomata ſpuria ex antiquitus confictis nulla ſupereſſe :* idem ex his aliqua nunc ſupereſſe contendere videatur, cùm docet, * *inſtrumenta, ſi quæ in cortice arboris ſcripta, non ubique ſyncera eſſe deprehenduntur*, illa non his noſtris temporibus fabricata, ſed jam tum *olim exſcripta, ſuppleta atque interpolata fuiſſe.*

* Pag. 51.

* Pag. 64.

III. Novum inconſtantiæ genus. Libri primi capite ſeptimo

ponit istud effatum generale: *Populi Septentrionales*, * inquit, *ut linguam, ita & characteres proprios à Romanis diversos habuerunt*; atque istud ipsi videtur inde erui posse, quod Agathias *eos vestitu & lingua à Romanis diversos* esse dicat. Neque enim Fontaninus fieri posse putat, ut quorum diversus est vestitus & lingua diversa, eorum sit eadem scriptura. Quo semel posito principio, concludit Francis suos fuisse proprios characteres: *si enim linguam*, ita ipse loquitur, *utique & characteres proprios & à Romanis diversos, Francos habuisse necesse est*. Ac paulò post addit, * *Francos propriorum characterum ductus & lineas cum verborum sordibus in Galliam invexisse*. Ita ille.

* Pag. 70.

* Ibid.

* Pag. 80.

Verùm quod nemo credat, eodem

dem in capite, eadem in pagina, in qua ſuam Francis propriam ſcripturam fuiſſe contendit, ibidem verba iſta Monachi Otfridi laudat & comprobat; *Francorum lingua,* ut docet Otfridus, Fontanino teſte, *veluti agreſtis habetur, dum à propriis nec ſcriptura, nec arte aliqua ullis eſt temporibus expolita.* Conciliet ſimul hæc duo, ſi poteſt: nimirum Francos propria lingua & ſcriptura uſos fuiſſe, nec tamen Francorum linguam ullis temporibus ſcriptura aut arte aliqua fuiſſe expolitam.

IV. Placuit Fontanino meum de Anonymo Scriptore Geſtorum Dagoberti primi judicium reprehendere, qua parte cenſui non omnino certa eſſe diplomata quæ ab illo auctore exſcribuntur. Sic ergo Adverſarius.

Pag. 141.

At forte quis facile sibi persuadebit, si non alia, saltem ea quæ Anonymus memorat diplomata, inter legitima à Germonio reputari: quod tamen ab immiti & implacabili veterum chartarum hoste neutiquam sperare licet; quamvis enim scribat, ea sibi multò minus suspecta esse, quàm quæ subsequentibus sæculis ex eodem Archivo prodierunt: postea magno animo affirmat, neque tamen omnino certa videri.* Istud equidem non affirmavi modò, sed etiam invictissime demonstravi; dictumque nostrum reprehendere non debuit, qui probationes confutare non valuit. Verùm quî fieri posset, ut probationes nostras Fontaninus confutaret? cùm illas hoc ipso in capite pluribus confirmet; Anonymique plurimos errores, & levissimam esse au-

ctoritatem eodem ipso in loco* ostendere conetur, ubi mihi succenset, quod negaverim omnino certa esse diplomata, de quibus ille mentionem fecit. Neque hoc uno in loco, sed * & in aliis etiam contendit Anonymum non magnam mereri fidem; cùm tamen jubeat, ut ipsi plenam ego adhibeam.

* *Pag. 135. & seq.*

* *Pag. 160. & 161.*

Plures hominis antilogias referre supersedeo: monendus tamen Eloquentiæ Professor, neminem posse adversus alios pugnare feliciter, qui secum ipse perpetuò pugnet.

Caput IV.

Veterum loca Fontaninus citat, quæ causam suam non adjuvant, & quæ ipse nec legit, nec intellexit.

* *Vind. dipl. pag. 4.*

* *Ibid.*

QUi modò * *Venatorem* se dixerat Fontaninus, nunc se bellatorem exhibet,* *errorumque ac sophismatum agmine stipatum* hostem ultro aggreditur & lacessit. Verùm sive venator, sive miles, semper sui similis, semper infelix. *Veritatis venator* non veritatem ipsam, sed larvam secutus fuerat: jam factus miles tyrones imitatur, qui in conflictu sui non satis compotes, nihil aliud in votis habent, quàm ut ferale plumbum statim è fistula ferrea explodant: ex eóne explodant loco, unde hostis feriri possit, nihil ad-

modum curant. Talem ſe gerit Fontaninus in eo bello, quod Diſceptationi noſtræ infert. Literaria ſarcina, quam hinc inde erasam collegit, ſeſe exonerare feſtinat: congeſtiſne teſtimoniis Adverſarius feriatur, quem proſtratum voluit, nullo pacto attendit. Hoc quidem peccatum grave: iſtud verò gravius, quòd teſtimonia Veterum cùm producit, in alienos ſenſus ſæpiſſime detorqueat. Unde ſequitur libros ex quibus illa deſcribuntur, à Fontanino non inſpectos, vel non intellectos.

Quæ ſi quis temere & per contumeliam jactari exiſtimat, legat quæ diplomatum Vindex habet libro primo, capite ſecundo. Grandia ibi nomina ſonat ambitioſius, Auguſtinum, Symmachum Pontificem, Gregorium

magnum, Gregorium Turonensem: Concilia Milevitanum, Carthaginense, Agathense. Pulchrè quidem & eruditè; sed non satis fideliter, nec ad rem appositè. Atque utrumque erit omnibus manifestum, si dicta ipsius cum iis quæ in Disceptatione nostra leguntur, conferamus.

* *Vind. dipl. pag. 15.*

Sic ergo* incipit: *Si scripta instrumenta nauci & pili habebantur, cur tot solemnitatibus, cur Notariorum, Tabellionum, Scriniariorum, Referendariorum, Cancellariorum, Archi-cancellariorum, imò Regum, Principum & testium subscriptionibus & magnis sigillis firmabantur?* Rectè & verè: quis enim non videat ineptum esse ac superfluum variis subscriptionibus & sigillis munire instrumenta, quæ *nauci & pili haberentur?* Sed novitne aliquem Fontaninus, qui

instrumenta *nauci & pili habita* fuisse scripserit? Neminem certè. Nam cùm veteribus instrumentis continerentur interdum donationes magni momenti, manifestum est illa in pretio fuisse, saltem quandiu metus fuit, ne donata bona à donantis hæredibus repeterentur. Quare istud tantùm ambigitur, utrum instrumenta vetera fuerint diligentissimè custodita, etiam postquam donationes longissimi temporis possessione firmatæ sunt, & positæ extra contentionis periculum. Sed accuratè librare omnia, & ad amussim perpendere Fontaninus non putavit suarum esse partium.

In pretio autem fuisse olim instrumenta & chartas probat Fontaninus Scriptorum veterum auctoritate, sed quos non legit, vel non intellexit. Sic enim ille: * Si

* *Ibid. p. 10.*

» ejusmodi chartæ inter viles quis-
» quilias reputabantur, inquit, nu-
» gatur ergo Sanctus Augustinus,
» dum epistolâ 43. cap. 9. num. 25.
» ad Glorium & alios ita scribit:
» *Non chartis veteribus, non ar-*
» *chivis publicis, non gestis foren-*
» *sibus aut ecclesiasticis agamus.* Augustinus certè non nugatur: sed Fontaninus Augustinum, quem citat, non legit.

Epistolâ hâc Augustinus agit adversus Donatistas; ac primò ipsis opponit quæ olim ab Episcopis & ab ipso Constantino Imperatore quem appellarant Donatistæ, gesta fuerant: deinde exprobrat ipsis cædes, & latrocinia, quæ aut patrabant, aut patrata à suis tolerabant: ac demum sic concludit: * *Judicium Episcoporum ad Imperatorem appellatur. Judex eligitur Imperator. Judicans*

* *Aug. Epist. 43. nov. Edit. quæ est 192. vet. Edit. num. 25.*

contemnitur Imperator. Quæ tunc acta sunt, legistis; quæ nunc aguntur videtis: si de illis in aliquo dubitatis, ista jam cernite. CERTE NON CHARTIS VETERIBUS, NON ARCHIVIS PUBLICIS, NON GESTIS FORENSIBUS AUT ECCLESIASTICIS AGIMUS. *Major liber noster orbis terrarum est, in eo lego, &c.....* Ex quibus verbis liquet *chartas illas veteres*, de quibus loquitur Augustinus, nihil aliud esse, quàm *gesta forensia & Ecclesiastica*, quæ recitaverat: *Archiva* vero *publica* esse loca, ubi gesta hæc asservabantur. Quare si quid Fontaninus adversum me concludere voluit, sic debuerat argumentari : Quæ olim in synodis Episcoporum & apud Imperatorem Constantinum gesta fuerant & judicata adversus Donatum & ejus asse-

clas, ætate Auguſtini ſervabantur adhuc in Archivis publicis. Ergo certa ratione conſtat, ſcriniorum privatorum cuſtodes olim fuiſſe vigilantiſſimos in aſſervandis illis veteribus chartis, quas longa nec controverſa poſſeſſio minus neceſſarias effecerat. Quis hancce argumentationem, ut Fontanini verbis utar, * *ſtatim nugis finitimam, eſſe non videat?*

* *Vind. dipl. pag.* 15.

Proſequitur ille, * & addit Symmachum Pontificem apud Gratianum * *iniquum cenſere, ut Epiſcopi cuſtodes potius chartarum, quam defenſores rerum creditarum judicentur.* Quam Symmachi in ſynodo Romana ſententiam, ubi Fontaninus ex Gratiano recitavit, ſibi ipſe gratulans & plaudens, tanquam re confectâ, Adverſarium ſic compellat: *Quid ad hæc, Germonius,* * inquit?

* *Ibid. p.* 16.

* *Cauſa* 16. *qu.* 1. *can.* 57.

* *Vind. dipl. pap.* 16.

Ergone tunc instrumenta minimè custodita? Respondet primò Germonius Fontaninum hoc in loco, ut in aliis, non satis meminisse quid rei agatur; neque enim negatum est instrumenta jam tum ineunte sæculo sexto fuisse custodita: sed desiderata est solummodo in Custodibus vigilantia. Quanquam si prius istud reipsa negatum esset, Symmachi verba contrarium non evincerent. Quid enim chartarum illarum nomine, quarum custodes fuisse dicuntur Episcopi, prohibet intelligi, non ipsa instrumenta autographa, de quibus quæstio est, sed libros in quibus factæ Ecclesiis donationes singulæ descriptæ haberentur? Quæ interpretatio, ut chartarum nomine libri significari dicantur, Vindici diplomatum non debet videri inso-

lens; si modò Decretum quod citat, propriis oculis legit, non alienis. Simul enim vidit adjunctam Decreto veterem glossam, quæ sic habet: *Chartarum, id est, librorum:* ratio additur; *quia Episcopus non debet semper libris insistere.* Atque hæc postrema verba indicant, ab eo qui scripsit glossam, chartarum nomine, ne libros quidem illos in quibus factæ Ecclesiis donationes describebantur, intellectos fuisse.

Præterea opponit nobis Diplomatum Vindex Cenomanicæ Ecclesiæ Archivum, in quo reconditas olim fuisse chartas & instrumenta, ex Mabillonii Analectis probat. Simul tamen observat, chartas illas * *legi per omnia præ vetustate & putredine non potuisse.* Quibus verbis causam suam prodit imprudens. Nam si servata

* Pag. 17.

ſervata in Archivo Cenomanenſis Eccleſiæ teſtamenta illic putruere, cuſtodum certè incuria putruere: jure merito igitur major in Tabulariorum cuſtodibus vigilantia requiſita eſt: nec idcirco in me acriter inſurgere debuerat Fontaninus.

Cauſam non agit felicius, cùm me appellat ad ſynodos Milevitanã, Carthaginenſem & Agathenſem. Milevitana ſtatuit, **ut Matricula & Archivus Numidiæ & apud primam ſedem ſit, & in Metropoli, ideſt, Conſtantina.* Matricula de quâ hic ſermo, vel fuit album Epiſcoporum & Clericorum Numidiæ, vel tabulæ in quas acta Eccleſiaſtica ad Numidiam pertinentia referebantur. Archivus autem locus his tabulis aſſervandis deſtinatus. Certè convenientiſſimum erat hujuſmodi tabulas & Archi-

Conc. tom. 2. Col. 1656.

vum, *& apud primam sedem esse, & in Metropoli*. Sed quid hoc ad rem nostram? Neque enim de Episcoporum albo aut tabulis Ecclesiasticis agimus, sed de donationum ac privilegiorum instrumentis autographis; quæ nec apud primam sedem, nec in Metropoli, sed in ipsa Ecclesia ad quam spectabant, singula asservari debuerunt.

In Chartaginensi Synodo, quæ anno 525. habita est, Bonifacius anteà Gratianensis, tunc verò Carthaginensis Episcopus, * *jubet proferri ex Archivo hujus Ecclesiæ scripta quæ direxerat, & rescripta quæ sumpserat, vel quæcumque ad præsentis negotii pertinebant firmitatem.* Ex quo loco unum concluditur, tunc in more positum fuisse, ut hinc & inde missæ de rebus Ecclesiasticis literæ tamdiu apud Metropoli-

* *Spicil. tom. 6. pag. 5.*

tanum in Archivo ſervarentur, quandiu ad componenda negotia utiles judicabantur. Hoc autem quis in dubium revocet? Neque tamen ex ſynodo illa Carthaginenſi definiri poteſt, autographá-ne, an apographa tantum in Archivo Eccleſiæ reponerentur; ſi quidem Redemptiolus Notarius cùm literas jubente Bonifacio recitavit, non dicitur recitaſſe illas ex autographo, ſed ſolum modò * ex *Volumine Chartarum*: quæ vox ambigua eſt, & exemplaribus deſignandis aptior quam autographis. * *Ibid.*

Concilium Agathenſe an. 506. celebratum, canonem hunc habet. * *Si quis de Clericis, documenta, quibus Eccleſiæ poſſeſſio firmatur, aut ſupprimere, aut negare, aut adverſariis fortaſſe tradere, damnabili & punienda obſti-* *Tom. 4. Conc. Col. 1387. Conc. Agath. Can. 26.*

natione præsumpserit, quidquid per absentiam documentorum damni Ecclesiæ illatum est, de propriis facultatibus reddat, & communione privetur. Hi etiam qui in damno Ecclesiæ instrumenta Ecclesiæ, impiè sollicitatis traditoribus, susceperint, pari sententiâ feriantur. Qui Canon id quidem, quod semper concessum est, apertè probat, Ecclesias Galliarum jam tum possessiones habuisse, easque variis documentis atque instrumentis firmatas. Verùm aliud simul demonstrat, quod Fontaninus videtur non satis attendisse, sexto ineunte sæculo quosdam Clericos eò perfidiæ devenisse, ut ipsi *Ecclesiæ documenta damnabili & punienda obstinatione aut supprimerent, aut negarent, aut adversariis traderent*: nec defuisse inter Laïcos,

qui ad hanc perfidiam Clericos *impiè sollicitarent.* Porro huic proditioni non fuisset tam facilis locus, si Tabularia jam tum habuissent vigilantissimos fidelissimosque custodes.

Neque semel hoc eodem in capite mihi suffragatur Fontaninus, dum putat se maximè refragari. *Si instrumenta non custodiebantur,* * inquit, *cur magnus Gregorius scribens ad Desiderium Episcopum, libro septimo, Epistola decima septima, agit de chartis Ecclesiæ Cadurcinæ?* Hic Fontanini locus multa habet, quæ emendari debeant. Primò Epistola Gregorii ad Desiderium Episcopum, non est decima septima, ut indicat Fontaninus post Mabillonium, sed centesima decima septima inter eas, quæ libro septimo habentur scriptæ Indi-

* *Vind. dipl. pag. 18.*

ctione secunda. Leve istud est; neque hîc observaretur, nisi hoc peccati genus cùm sæpius in hoc uno capite recurrat, indicaret non lectos esse à Fontanino auctores quos citat. Secundò Ecclesia de cujus chartis Gregorius agit in hac Epistola, non est Ecclesia Cadurcina: neque Episcopus ad quem data est Epistola fuit Episcopus Cadurcensis, ut Mabillonius * & post illum Fontaninus auguratus est. Qui enim circa hæc tempora præfuit Cadurcensi Ecclesiæ Desiderius, non nisi Regnante Dagoberto factus est Episcopus, triginta aut etiam pluribus annis post mortem Gregorii: non potuit ergo in Episcopatu constitutus Epistolas à Gregorio accipere. Tertiò quæ Gregorius habet in hac Epistola, nullo pacto probant ma-

* *De re dipl. lib. 1. cap. 3. pag. 10.*

gnam olim fuiſſe in cuſtodiendis Archivis diligentiam, quod unum tamen probari debuit. Poſtulabat Deſiderius, ut privilegia ab Apoſtolica ſede olim Eccleſiæ ſuæ conceſſa renovarentur. Reſpondet Gregorius: *in Eccleſiæ noſtræ ſcrinio requiri fecimus, & inveniri nil potuit.* Deinde Deſiderium admonet, *ut ipſe in requirendis chartis Eccleſiæ ſuæ vigilantius curam impendat, & ſi qua exinde ſcripta inveniri potuerit, ad ſe tranſmittat.* Si repeiſſet Gregorius in ſcrinio Romanæ Eccleſiæ inſtrumenta quæ requirebat; vel ſi hæc ipſi Deſiderius ex Archivo Eccleſiæ ſuæ deprompta exhibuiſſet: fortaſſe valeret iſtud exemplum ad probandam eorum qui Tabulariis cuſtodiendis præfuerunt, vigilantiam. Sed cùm primum apertè neget

Gregorius, alterum incertum relinquat; demonſtrat citata Epiſtola, non modò Eccleſiam Romanam, ſed illam etiam, cui præerat Deſiderius, ſua habuiſſe ſcrinia in quibus inſtrumenta reconderentur: ſcrinia illa fuiſſe diligenter cuſtodita non demonſtrat. Verùm etiamſi iſtud de Archivo Romanæ Eccleſiæ eſſet demonſtratum, ut argumentis aliis demonſtrari re ipſa poſſe reor: quid hoc ad rem noſtram? cùm requiſita ſit à me vigilantia non in iis dumtaxat qui præerant Tabulariis publicis, quibus Vaticana annumeranda eſſe nemo negaverit: ſed in iis ſolummodo quorum curæ privata Tabularia ſunt commiſſa.

Rurſum inſtat Fontaninus; *ſi chartæ non cuſtodiebantur*, * inquit, *cur Magnus Gregorius in Epi-*

* *Vind. dipl. pag.* 18.

ſtola tertia libri ſecundi ad Joannem Abbatem de monaſterio ſcribens, authenticam chartam & exemplaria chartarum exigit ad cauſæ cujuſdam diſcuſſionem? .... Cur in Epiſtola duodevigeſima libri ſecundi ad Marinianum Ravennatem Antiſtitem non ſemel memorat chartas monaſterii Claſſenſis? Ego vero reſpondeo eum qui ſic interrogat, non legiſſe Epiſtolas Gregorii. Conquerebatur Joannes Abbas, ſibi uncias ſex deberi pro quadam domo: prudentiſſimus Pontifex his verbis reſcribit, *de ſex vero vnciis domus, ſi authenticam chartulam non videmus, aut exemplaria, nihil poſſumus facere*. Hoc eſt, ſi bene intelligo, niſi debitoris ſyngrapham, aut ſaltem ſyngraphæ exemplaria viderimus, litem hanc definire non poſſumus. Quæ reſponſio

indicat jam tum creditores à debitoribus suis syngraphas accepisse: sed quid hoc ad quæstionem nostram? In Epistola ad Marianum Ravennatem idem Pontifex *interdicit, ut nullus Episcoporum aut sæcularium ultra audeat de reditibus, de rebus vel chartis monasterii Classitanæ urbis minuere.....* De chartis autem hujus monasterii anteactis temporibus Episcopi vel sæculares non imminuissent, si eas custodes Tabulariorum Monachi diligenter servassent.

Infinitus sim, si singulatim velim excutere cætera veterum loca quæ ex Mabillonio pleraque descripta, frustra hîc Fontaninus colligit. Ex his tamen duo sunt aut tria quæ ad quæstionem videntur propius accedere: quanquam hæc ipsa considerata atten-

tius, nihil quicquam probant.

Objicit ergo nobis Caroli Calvi auctoritatem, qui sæculo nono jubet * ut *Episcopi privilegia Romanæ sedis, ac Regum præcepta Ecclesiis suis confirmata, vigili solertia custodiant.* Verùm hujus legis ferendæ nulla extitisset causa, nulla necessitas, nisi instrumenta vetera fuissent antehac negligentius custodita.

* Tom. 2. Capitul.

Circa eadem tempora Ebo Rhemensis Archiepiscopus * *Archivum Ecclesiæ suæ* TUTISSIMIS ÆDIFICIIS, *cùm crypta in honore Sancti Petri omniumque Apostolorum, Martyrum, Confessorum, ac Virginum dedicata..... opere decenti construxit.* Sed instrumentisne asservandis illa TUTISSIMA ÆDIFICIA destinabantur? minimè. *Multorum* illic * *tam Apostolorum quam cæterorum*

* Flodoard. lib. 2. cap. 19.

* Ibidem.

sanctorum condita fuisse pignora Flodoardus docet: vetera instrumenta ibidem collocata fuisse nusquam significat. Et verò si hæc tum Ebo habuisset ad manum, & in TUTISSIMIS ÆDIFICIIS collocasset: male periisse non conqueretur * Ebonis successor Hincmarus.

* *Præf. ad vitam S. Remigii.*

Ubi animadvertendum est, locum in quo Sanctorum reliquiæ, sacræ vestes, vasa ac reliqua templorum aurea atque argentea supellex reconderetur, *Archivum* etiam interdum dici; atque esse diversum ab eo in quo vetera instrumenta servarentur, primumque multò tutioribus, quàm alterum, ædificiis construi solitum. Atque istud à Fontanino observatum non fuisse eò magis mirum est, quòd Scriptores laudaverit quiid ipsum eodem loco, quem citavit, doceant.

Indul-

Indulphus postquam descripsit monasterii Croylandensis incendium, quod contigit circa finem undecimi sæculi, sic loquitur. * *Intrantes Vestiariam, omniaque sacra vestimenta nostra, sanctorumque reliquias, & nonnulla alia jocalia ibi reposita reperimus ab ignibus intacta, eo quod duplici arcu lapideo dicta domus erat tecta. In Chartariam vero nostram ascendentes, quæ licet arcu lapideo erat per totum contecta, tamen per ligneas fenestras igne irruente invenimus..... licet ipsa scrinia integra & salva apparerent, tamen omnia monimenta nostra nimio ignis calore concreta sunt & penitus concremata.* Ubi manifestum est locum alium sacris vestibus & reliquiis Sanctorum, alium veteribus instrumentis asservandis fuisse destinatum: illum

* *Hist. Angl. script. tom. 1. pag. 97.*

duplici arcu lapideo contra vim ignis munitum, restitisse: hunc unico tantum arcu lapideo tectum flammarum violentiæ cessisse.

Simile aliud habetur apud Rodulphum Tortarium.* Ille enim occasione incendii Floriacensis Basilicæ, quod contigit etiam exeunte undecimo sæculo, docet sericos ornatus ac pretiosam templi supellectilem reconditam fuisse in *Gazophylacio quod fornice lapideo erat contectum.* De testamentis autem & privilegiis Monasterii sic loquitur.* *Librorum pernecessariam copiam amittere ignis violentia pertimescentes, eòdem* (in gazophylacium) *congessimus, cum testamentorum & privilegiorum nostrorum congerie. Metuebamus enim ne turricula in qua hæc recondita erant, ignium viribus succumbens, in favillas*

* *Sæc. 4. Bened. part. 2. pag. 408.*

* *Ibid. p. 409.*

redigeretur, cùm foret rimarum plena..... Duo igitur Monasterii Floriacensis loca designat Tortarius : Gazophylacium fornice lapideo contectum, ubi vasa & ornatus templi reponi solerent : turriculam, ubi testamenta & privilegia collocata erant. Quæ turricula, cum teste eodem Tortario fuerit rimarum plena, nec satis firma, hoc ipsum tamen Fontaninus dissimulat, ut splendido *Turriculæ* nomine abutatur, ad exaggerandam veterum Monachorum in chartis suis custodiendis vigilem solertiam.

Meliori fide Hariulfi testimonium refert. Nam ubi ex illo Scriptore monuit *armaria* apud Centulenses, *secretis clavibus condita fuisse* : ejusdem verba adjicit suos *obtestantis* * *ut hæc in quibus congregandis desudaverat,*

* *Vind. dipl. pag. 25.*

diligenter custodirent, & ea qualicumque modo deperire non permitterent. Quæ obtestatio subindicat, & ante ejus ætatem Centulensium diplomata hinc & inde dispersa fuisse, si quidem *in iis congregandis desudandum fuit;* & ex iis deperiisse aliqua; alioquin non tam enixè suos oraret & obtestaretur, ne quæ in unum collegerat, deperire deinceps permitterent.

Quanquam quæ hîc proferuntur ex Hariulfo, Indulpho & Tortario, cùm res contineant undecimo sæculo exeunte gestas, Adversarii causam non adjuvant. Quæritur enim, utrum diligentia quam in scriniorum custodibus aliquam fuisse undecimo sæculo nemo negat, eadem etiam anterioribus sæculis fuerit, sexto inprimis, septimo & octavo. Ad

ſolvendam hanc quæſtionem undecimi ſæculi exempla Fontaninus producit.

Quæ in libri primi capite ſecundo Fontaninus congeſſit Veterum teſtimonia, prolixius excutere neceſſe fuit, ut vel inde conjiceret Lector, quanti facienda ſit Mabilloniani Vindicis eruditio, qui Scriptorum loca citat, vel quæ nihil ad rem faciant, vel quæ nec legit ipſe nec intellexit.

CAPUT V.

Fontaninus non eâ, quâ decet moderatione, cauſam ſuam perorat.

FOntaninus, quæ viri modeſtia eſt ſingularis & urbanitas, Herculi ſe ipſum, Adverſarii ſcripta * *Augiæ ſtabulo* comparat. Quod quidem *ſtabulum ipſe in-*

* *Vind. dipl. lib. 1. cap. x. pag. 116.*

gressus, expurgare undique pergit, excussis,* *sophismatibus atque captiosorum & inanium effatorum sordibus. Augiæ* autem *stabuli* imaginem novus Alcides quanquam vidit in tota passim Disceptatione nostra: maximè tamen in illo capite, *ubi * ex styli diplomatici barbarie chartarum veterum indubiam falsitatem*, (ita enim loquitur) *à me detectam assero*. Mabilloniana *autographa propter styli barbariem suspecta esse debere* * dixi: *indubiæ* falsitatis convicta esse non dixi.

* *Ibidem.*

* *Ibid.*

**De Vet. Reg. Franc. Dipl. Discept. 1. pag. 78.*

Neque primus omnium dixi vetera quædam diplomata, propter styli barbariem esse debere suspecta. Idipsum jam dudum statuerat Alexander III. summus Pontifex. Is enim in judicio quod fusè à Mabillonio recitatur,* suspectum declarat Zachariæ pri-

* *De re dipl. pag. 633.*

vilegium *propter stylum dictaminis & corruptionem Grammaticæ Artis.* Idem inter dubia numerat aliud Leonis privilegium *propter vitium & corruptionem Grammaticæ artis:* denique *rem absurdam* censet, *existimare, quod Leo Pontifex Vir literatus idiotas scriptores habuerit.* Nihil horum ignorare potuit Fontaninus, si modò opus, cujus vindicias scribit, attentè legerit.

Non arguo nunc, quòd Mabillonii sententiam amplexus fuerit; Alexandri tertii judicium spreverit, impugnaverit; istud quidem in quocumque Scriptore grave est, sed in homine Romano gravius; hoc autem gravissimum, quòd cùm sciret in sexto Disceptationis nostræ capite nihil aliud affirmari, quam quod eruditissimus idemque sapientis-

simus Pontifex sexcentis fere annis ante judicaverat : tamen per summam contumeliam dicat collectas ibi sophismatum sordes ac spurcitias squallore, fætore, multitudine, Augiæ stabuli imaginem expressisse. Esto enim Fontanino licuerit, quia adversum me scribebat, ingenio obsequi, nec ullas decori & urbanitatis leges servare : at saltem reverentia Pontificis, cujus judicium tuebar, cohibere debuit, ne fœdissimas impuri stabuli sordes exhiberet, & Pontificiam causam, quam agebam, tam sordidis coloribus aspergere conaretur.

Neque intra illos terminos sese continuit Mabillonianus Vindex. Fatetur Mabillonius & agnoscit instrumenta duo vetera Zachariæ & Leonis Pontificum, tanquam nulla fide digna, rejecta

esse ab Alexandro tertio *propter vitium & corruptionem Grammaticæ artis*. Tamen Fontaninus,* *vel una styli diplomatici barbaries*, inquit, *apud omnes homines mentis & rationis compotes, chartas veteres legitimas esse probat.* Non equidem existimo Eloquentiæ Professorem, dum hæc scriberet, attendisse ad Decretum Alexandri III. aut de eo quicquam cogitasse. Quem enim Eminentissimus ac doctissimus Annalium Ecclesiasticarum Scriptor appellat, *Virum utique prudentissimum & omnibus virtutibus ornatissimum; atque in omnes beneficentissimum, pariter & eloquentissimum: quem Sanctus Bernardus*, eodem Cardinali teste, *egregiè laudasse reperitur, eidemque Pontificatum subobscurè prænuntiasse:* hunc à Romano Professore, nul-

** Vind. dipl. lib. 1. Cap. x. pag. 117.*

Ad. an. J. C. 1159.

la virtutum, nulla dignitatis habitâ ratione, eorum numero exclusum esse, *qui mentis ac rationis sunt compotes*, nemo sibi persuadeat. Sed quanquam hoc in loco Alexandrum III. non appellavit, quanquam de illo ne cogitavit quidem, tamen ea dicit quæ reipsa in illum recidunt.

Neque solum in Alexandrum III. recidunt, sed videtur contumelia quodammodo ad ipsum etiam pertinere Gregorium septimum: qui teste ipso Mabillonio, scribens * *ad fratres Monasterii Beatæ Mariæ Dordonensis quoddam privilegium nomine Alexandri secundi titulatum rejicit duabus ex causis*: quarum prior est *corruptio Latinitatis*. Unde manifestè sequitur styli diplomatici barbariem Gregorio VII. minimè visam fuisse veterum chartarum

* *De re dipl. lib. 2. cap. 1. pag. 46.*

synceritatem probare. Atqui tamen, si Fontanino credimus, ita videtur iis omnibus qui sunt *mentis & rationis compotes.* Ergo si Fontanino credimus, neque Gregorius VII. quamvis in fastos Sanctorum relatus, locum habebit inter homines *mentis & rationis compotes.*

Videat, quæso, Mabillonianorum diplomatum Vindex, quo ipsum disceptandi ardor abduxerit. Ut Mabillonii causam defendat, Pontificum Romanorum judicia sugillat. Declarat Alexander III. suspecta esse debere vetera diplomata *propter vitium & corruptionem Grammaticæ artis.* Contra Mabillonius pronunciat *propter barbarismos aut solœcismos non debere suspecta esse prisca instrumenta* : Fontaninus autem non modo huic se contra illum adjun-

git: sed ut amico aduletur, cum eo sentire, ait, quotquot sunt mentis & rationis compotes: iis omnibus qui in contraria sunt opinione, atque adeo ipsis summis Pontificibus ad amentium conditionem amandatis. Sed prosequamur cætera Fontanini convitia.

Existimavit scilicet confutatam esse magna ex parte Disceptationem diplomaticam, ubi sæpius ingeminavit, in illa passim occurrere *nugas, commenta, tricas, technas, rationes frivolas, divinationes nugis simillimas, notas pulvere & vento leviores, multa levia omnino, captiosa, absurda, cavillationes, ratiunculas, lapsus creberrimos, hariolationes, hallucinationes supinas, argutias pueriles, errorum agmina & sophismatum, tricarum & sophismatum plaustra, novos nec priùs auditos errores,*

errores, crambem ſæpius recoctam, paradoxa ſaxis profliganda, doctrinam abſurdam & ex tabulis literariis undique eliminandam. Hi flores ſunt, quibus orationem ſuam Eloquentiæ Profeſſor exornatam voluit.

At non ſemper irarum plenus convitia jactat Athleta noſter. Interdum *hominem ridet & ſibilat bellè in re ſeria & gravi crepundiis indulgêntem ac redeuntem ad nuces.* Ipſum interdum miſeret Adverſarii, qui in *parietem caducum inclinat, & ſe in tricas injicit imprudens.* Interdum *in ipſo limine deficientem, in itinere non raro titubantem, dumiſque ac ſalebris ſuis involutum pro modulo extricare conatur; atque ad averruncandum ſupinæ hallucinationis faſcinum ſeſe miſeratione commotus accingit.*

Neque verò hæc ipsi satis esse visa sunt. Nunc Adversarium *opus ab hallucinationibus auspicantem, stipatum errorum & sophismatum agmine, hostiliter in vetusta chartaria grassantem*, generosius antiquitatis Vindex prosequitur. Nunc indignabundus insurgit adversus *immitem & implacabilem veterum chartarum hostem; atque ipsi exprobrat, quod ingenium & judicium sibi ultro adsciscat; quòd utramque paginam erroribus impleat; quòd ab ovo usque ad mala semper eadem chorda oberret; quòd culpam eamdem iterum atque iterum committat, somnum suum non videns, ut ultro citroque carpendi occasionem effodiat; quòd nimiâ abreptus libidine convellendi universum opus diplomaticum, præceps extra lineam ducatur, & vetustis omni-*

bus instrumentis diros ungues injiciat; quòd nulli veterum auctorum testimonio, nulli erudito homine dignæ rationi innixus disceptet; quòd scripto præcipiti, mente læva, technisque in Mabillonium impetum faciat; quod Pyrrhonismum introducere moliatur in rem literariam, atque in historiam veritatis magistram. Atque ut paucis absolvam, vix ulla pagina est, in qua Adversarium verbis asperioribus & amaro felle delibutis, Fontaninus insultans non castiget: vix ullum injuriæ ac contumeliæ genus, quod non intorqueat.

Verùm quod mirere: quem tam indignis modis passim proculcat, huic tamen idem laudem tribuit eruditionis, ingenii, eloquentiæ. Quasi verò aut eruditus, aut ingeniosus, aut disertus

dici possit, qui *ab ovo usque ad mala oberrat; & divinationes sequitur, quas nemo nisi plane in sequioris ævi antiquitatibus hospes approbet; cujus mens errores solummodo parit ac sophismata & supinæ hallucinationis fascino laborat; qui obgannit multa & oggerit: nihil autem persuadet, ne vecordis quidem & hebetis ingenii hominibus.* Debuerat Fontaninus, si modo noluit pugnare ipse secum, debuerat vel laudes, quibus Adversarium semel & iterum cumulat, vel convitia quibus eundem passim ludificat & proscindit, ex *vinditiis* suis expungere. Vel ut accuratiùs loquar, debuerat ab utrisque abstinere: à laudibus, à quibus quàm longé mea tenuitas absit probè conscius sum; à conviтiis quæ urbanum & christianum

hominem ſemper dedecent. Debuit Pontificis præſentia, cui ſe & opus ſuum ſtiterat, hominem continere, ne vel cuiquam malediceret contumelioſè, vel quemquam falſis aut parum ſeriis laudibus proſequeretur : utrumque pariter excludit debita tantæ majeſtati reverentia.

CAPUT VI.

Fontaninus non eâ quâ publicus Eloquentiæ Profeſſor debuit arte opus ſuum perpolivit.

DIctiones improprias & inelegantes, ambiguas, barbaraſque voces, menda etiam aliqua, inter ſcribendum excidere poſſe *ſcimus, & hanc veniam petimuſque damuſque viciſſim.* At veniâ hac frequenter egere eum, qui Artem Eloquentiæ pu-

blicè profitetur, res insolita est, & ut verum dicam, non satis honesta. Quare Fontaninus vel non debuerat in ipsa libri fronte declarare se esse *in Romano Archigymnasio publicum Eloquentiæ Professorem*: vel si titulo hoc abstinere noluit, debuerat opus perpolire lima, nec istud vulgare autequam esset Eloquentiæ Professore dignum.

Fortasse occupatissimo Professori per tempus non licuit opus rudiore tantùm manu & horis succisivis informatum, ac sæpius interruptum, postea incudi reddere, vel ut ipse loquitur, *incudini*. At quod per se minùs poterat, per alios facilè potuit curare & exequi. Neque enim Romæ desunt eruditi ac diserti viri, qui incudem Fontanino & limam rogati commodassent. Quam opem

multò ſatius erat implorare prudenter, quàm Vindicias edere, prolixas quidem, ſed incompoſitas, & inelegantes.

Neque hîc quicquam profero, quod non ſtatim Lectoris oculos feriat, quod Fontaninus in ipſo operis limine non videatur eſſe confeſſus. Quippe ſtatim in averſa primi folii pagina, negligentiæ ſuæ ſibi conſcius Auctor, Lectorem ultrò deprecatur, ne quod incompoſitè dictum fuerit, falſum exiſtimet. Sentiebat videlicet Eloquentiæ Profeſſor ſæpius à ſe contra Artemſuam eſſe peccatum: jam peto, an hæc confeſſio hominem profeſſione Rhetorem ſatis deceat. Eſto: cæteris Scriptoribus liceat elocutionem negligere; atque in id unum incumbere, ut verè & eruditè ſcribant: at Eloquentiæ Profeſſori

ea quæ Artis suæ sunt contemnere, certe non licet. Quis enim bonis artibus erit honos, si ne ab iis quidem excolantur, qui harum se magistros jactitant? Quomodo ad eloquentiam alios erudire & informare possit, qui vel in illa arte ipse est inexercitatus, vel quod malim credere, illam negligit ipse & aspernatur?

Atque hæc Fontanino si levia videntur, nec magni momenti: si nomen & decus Artis, quàm exercet, nihil curat: saltem debebat aliquam habere Urbi, in qua scribit, reverentiam. Cùm enim fulmina quibus Hæreses feriuntur, è Vaticano monte proficisci soleant: Romanam sedem Hæretici pessimè oderunt, & quibus possunt calumniis proscindunt. Atque ut in majorem suorum contemptum & invidiam Roma-

nos Scriptores adducant, inſcitiam ipſis & bonarum literarum ignorantiam falsò & temerè affingunt. Quare Romæ quicumque ſcribunt ſummopere cavere debent, ne novam calumniandi anſam Hæreticis præbeant. His ut occludant ora, nihil vulgare debent, quod non ſit diligenter elaboratum & in ſuo genere perfectum. Cæteri Scriptores cùm lucubrationes ſuas in lucem profecrunt, propriæ dumtaxat exiſtimationis periculum ſubeunt: Romani ſuis ſcriptionibus urbis, quæ caput eſt Catholici orbis, famam quodammodo in diſcrimen adducunt. Quæ cùm ita ſint, quis Fontaninum non reprehendat, qui cùm *publicus* ſit *in Romano Archigymnaſio Eloquentiæ Profeſſor*, nihil de Artis ſuæ, nihil de Gymnaſii, nihil de Urbis

gloria sollicitus, scriptum protulit incultum, multisque mendis squallidum. In quo quidem scripto lacinias Veterum non paucas laboriosè collegit, sed collectas assuit incompositè, nec eo quo par erat ordine digessit. Exempla aliquot referamus: plura qui requiret, librum ipsum adeat.

Fontaninus nobilissimum Abbatem Dominicum Passioneum, cui scriptionis suæ occasionem aperit, in præfatione sic alloquitur.* Quanquam ego, cui per se
» grave est semper scribendi munus, sed tum gravissimum quum
» à me maximè postulatur, quod
» sim mihi optimè conscius quàm
» ingenio mediocri vigeam; rem
» molestæ aleæ plenam esse reponerem auctores magnis contentionibus claros in judicium vocare, ita ut extorta voluptas, cujus

*Pag. 2.

lenocinio lectoribus blandiebantur, & demptus per vim gratiſſimus error, nihil inde ſuperſit, quàm novarum ſententiarum conatus, elegantium verborum phaleris involutus ; tu nihilominus dictis non acquieſcens hæc me obtendente rurſus inſtare, Germonium fateri, *non amore contentionis aut malevolentia aliqua, ſed ſolo inveſtigandæ veritatis dedeſiderio* incenſum, Mabillonio ad graviores curas properanti ſe hanc moram injeciſſe, eamque publicis literis conſignaſſe, ut quas interſerit dubitationes ſolverentur, ſi fluxæ, ne ſubinde cæteris fucum facerent : quare ſi ille cauſam peroravit modeſto & circumſpecto judicio, quemadmodum de ſe teſtatur, ſibi licere putans de magno auctore pronunciare ; numquid reliquis, aiebas

» ipse, interdictum æqua lance
» Germonii ratiocinationes om-
» nem rem diplomaticam uno ictu
» invadentes librare, & quid de ip-
» sis censendum sermone aperire?

Bone Deus? Hæccine est eloquentiæ Professoris oratio? quæ ambages? quæ tenebræ? quot menda? Longissimæ periodi membra sigillatim omnia expendamus.

Ac primò ait, scribendi munus quod quidem semper grave est, *tum fieri sibi gravissimum, cum maximè postulatur.* Quis hæc legens non statim cogitet de cantoribus, quibus Poëtâ teste, hoc vitium est, *inter amicos ut nunquam inducant animum cantare rogati: injussi nunquam desistant?* Et vero nisi cantorum istorum similis sit Fontaninus, cur quod non admodum ægrè faceret nemine postulante, istud nonnisi ægerrimè

mè faciat amicis efflagitantibus, & iis amicis, *quorum auctoritatem negligere nefas ſit?*

Scribendi munus, inquit, idcirco mihi graviſſimum eſt, cum maximè poſtulatur, *quòd ſim mihi optimè conſcius quàm ingenio mediocri vigeam:* bene. Propriæ tenuitatis conſcientia Fontaninum à ſcribendo non admodum retrahit, cùm ſejuncta eſt ab amicorum precibus: at ſi cum iis ſit conjuncta, maximè deterret. O amicitiæ cultorem egregium, apud quem amici precibus ſuis id unum conſequuntur, ut rem factu difficiliorem & multò graviorem reddant! Quid quod vigere ſe ingenio ibidem inſinuat, ubi *ſe mediocritatis ſuæ optimè conſcium* eſſe aſſeverat? Putat-ne mediocritatem ingenii & vigorem ſatis inter ſe conſentire?

Quod ego cùm obſervo, abſit ut Fontanino ingenii vigorem invideam. Sed peto ut ingenium ſuum mediocre non dicat, ubi vigens eſſe gloriatur : vel ſi per modeſtiam mediocre dicere velit, ne iſtud eodem in loco vigere jactet. Sed Fontaninum ſequamur.

Subjungit ille : *quanquam rem moleſtæ aleæ plenam eſſe reponerem auctores magnis contentionibus claros in judicium vocare, ita ut extorta voluptas cujus lenocinio Lectoribus blandiebantur, & demptus per vim mentis gratiſſimus error, nihil inde ſuperſit, quam novarum ſententiarum conatus elegantium verborum phaleris involutus.* Nemo in legendis antiquæ Latinitatis Auctoribus vel mediocriter verſatus, non animadvertit collectas in his paucis verbis plures iſtorum lacinias:

ſed obſcuram & intricatam earumdem copulationem & coagmentationem quis probet? quis ſenſum intelligat? quis verborum ſtructuram ad leges grammaticæ accommodet? Si ſic ſcriptum fuiſſet: *quanquam rem moleſtæ aleæ plenam eſſe reponerem auctores magnis contentionibus claros in judicium vocare, ita ut ſi fuerit extorta voluptas cujus lenocinio Lectoribus blandiebantur, & demptus per vim mentis gratiſſimus error, nihil inde ſuperſit*, vel *ita ut extorta voluptate & dempto per vim mentis gratiſſimo errore nihil inde ſuperſit*: ſi ſic in quam ſcriptum fuiſſet, ſubeſſet verbis ſenſus, aut ſaltem non deeſſet apta verborum conſtructio. At cum dicitur, *auctores magnis contentionibus claros in judicium vocare, ita ut extorta voluptas*

& demptus per vim mentis gratissimus error, nihil inde supersit: quis hoc intelligat? quis sic balbutientem ferat *publicum eloquentiæ Professorem?*

Cætera ejusdem periodi vitia, prolixitatem, ambages, non satis accuratam partium inter se compositionem, hæc inquam prætermitto omnia, ut petam à Rhetore nostro quid velit, cùm ait Germonium Mabillonio moram injecisse, *eamque* (moram) *publicis literis consignasse*. Publico scripto mora aliqua à me injecta est eruditissimo Mabillonió: at injecta hujusmodi mora non idcirco dici potest *publicis literis consignata*. Publicis literis ea solummodo consignata dicuntur, quæ sunt in publicas tabulas relata.

Sed alia cursim referamus, ut

percipiant omnes, quæ ſit Fontanini eloquentia, quis ſtylus. Sic Vindiciarum ſuarum caput primum inchoat.

« Ut ergo rem ipſam ingrediar, « non propriam laudem, neque alienam vituperationem, à quibus « ipſe longiſſimè abſum; ſed veritatem venando, quam Germonius non eſt aſſecutus, etiamſi « non lateret in puteo; nollem medius fidius univerſi ejus libelli « non ultima dos ea eſſe videretur, ut ſpecie aliud agentis putaretur in id potiſſimum incubuiſſe, ut evinceret, in celeberrima illa arce pietatis & doctrinarum apud Gallos, cœnobio inquam Sancti Dionyſii, officioſis « quibuſdam fraudibus prædiorum « dominium apud Eccleſiarum Antiſtites, & Galliarum Monarchas « obtrudere juſto ſacramento li-

„ cere creditum fuerit ; quorum „ deinde ſubleſtæ fidei teſtium car- „ dine univerſam rei diplomaticæ „ molem vel fucum imprudenter „ ipſe paſſus, vel cæteris facturus „ circumvolvi conſultò voluerit „ Mabillonius. Hactenus Fontaninus : cujus liber magna ex parte hîc deſcribendus eſſet, ſi omnia quæ in ipſo obſcurè, inconcinnè, mendosè ſcripta ſunt, referre velim.

Unum tamen adhuc exemplum addo : quo oſtendatur quàm prudenter & quàm ſuo loco Vindiciis ſuis Eloquentiæ Profeſſor aſſuat decerptas ex Antiquorum libris lacinias. Sic habet ille capite decimo libri primi. *Inter barbaricas nænias cultiora longe ſcripta identidem prodiiſſe, ſcimus, & hanc veniam petimuſque damuſque viciſſim, præſertim ſub ipſa Franci-*

ci principatus initia... Quæ ſit illa venia quam petit & dat viciſſim Fontaninus, Lectores divinent, ſi poſſunt. Certè nec illi videntur venia eguiſſe, qui ſub ipſa Francici principatus initia inter barbaricas nænias cultiora ſcripta identidem edebant, nec ſi veniâ tunc eguerunt, videtur hæc ipſis hodie poſſe à Fontanino concedi. Non egebant illi veniâ quæ conceditur: at verſu Horatiano ad incultàm orationem ſuam exornandam egebat Fontaninus. Exiſtimat enim elegantes fore Vindicias ſuas, ſi in his *purpurcus latè qui ſplendeat, unus & alter aſſuitur pannus.* Jure quidem, ſi eſſet his locus; nec gemmæ Horatianæ eo loco proferrentur, ubi ſplendere non poſſunt, ſed tenebras offundunt potius & ſenſum obſcurant.

Conclusio.

IN aperto jam positum est, ni fallor, imprudenter fecisse Fontaninum, qui Librorum *de re diplomatica* vindicias suscepit, priusquam perpendîsset, quid Romanum hominem, quid publicum Eloquentiæ Professorem, quid astantem coram summo Pontifice Oratorem deceret. Neque verò mirum est à Fontanino ista omnia minùs esse perpensa, cùm & eum intelligere quem confutabat, & cum eo consentire quem defendebat, neglexerit. Atque ista utcumque tolerabilia essent, si saltem fuisset in veteri Historia investiganda diligens, in secernendis veris diplomatibus sagax, in citandis priscis auctoribus fidelis, deni-

que ſi qui mecum conſentire noluit, cum Mabillonio non potuit, ſecum ipſe conſentiret. Verùm cum nihil horum præſtiterit, nonne initio hujus Diſceptationis jure dictum eſt, Fontaninum Mabillonii defenſorem eſſe minimè idoneum ?

Appendix Prima,

In quâ Dominici LaZZarini Epistola confutatur.

CUm editæ à Justo Fontanino Mabillonianorum *Diplomatum Vindiciæ* tales sint, quales modo exposui, non erat facile accuratissimis Trevoltianarum Ephemeridum Scriptoribus summam libri exhibere, quæ vera esset, nec Auctori displiceret. Quia tamen illi non modò abhorrent à convitiis quàm maximè, sed istud etiam in votis habent, ut nullam, quoad fieri potest, cuiquam dent ansam offensionis; Justi Fontanini librum sic descripserunt, ut Auctori simul parcitum sit, & consultum veritati. Editam ab ipsis libri summam juvat hîc Lati-

nè reddere, atque integram repræsentare. Sic ergo illa habet.

" Quo tempore *Librorum de re Diplomatica Supplementum* Parisiis scribebat Mabillonius, & Disceptationi, qua isti confutantur, responsum parabat: eodem ferme Justus Fontaninus Romæ se accingebat ad Disceptationem eandem refellendam, & vetera Mabillonii diplomata vindicanda. Neque iste ultro ac volens huic se concertationi immiscuit: affirmat ad id se non nisi ægrè adductum fuisse, precibus scilicet & voluntate nobilissimi Abbatis Dominici Passionei. Hoc tamen argumentum, quod invitus pertractandum suscepit, visum est ipsi adeo grave, ut librum suum summo Pontifici dicandum & litis hujus cognitionem Sanctissimo Patri subjiciendam esse censuerit.

» Adversarii autem vestigia ut
» diligentius premeret, dictaque
» ejus singula refelleret, geminam
» Germonianæ Disceptationis par-
» tem geminis libris exagitare vo-
» luit.

» In primo statim exponit Dis-
» ceptationis scopum; qui nec ob-
» scurus est, & ab Auctore clarè
» explanatur, ubi ait, hoc sibi pro-
» positum esse, ut examinet, an Di-
» plomatum illorum, quæ Mabil-
» lonius voluit esse indubitatorum
» Autographorum specimina, &
» ex quibus diplomaticæ Artis re-
» gulas & præcepta eruit, an, in-
» quam, illorum Diplomatum ve-
» ritas tam certa sit, quàm erudi-
» tissimo Librorum *de re diploma-*
» *tica* Scriptori visum est. Publi-
» cus in Archigymnasio Romano
» Eloquentiæ Professor his se fini-
» bus non continuit; contendit sci-

licet

licet Germonium voluiſſe præ- «
terea venerandæ antiquitati & «
doctiſſimis poſtremorum tempo- «
rum Scriptoribus bellum indice- «
re ; eundemque in id potiſſimum «
incubuiſſe, ut evinceret cœnobii «
Sandionyſiani alumnos ſuppoſi- «
titiarum tabularum ope in alienas «
poſſeſſiones invadere voluiſſe. «
Objectam Germonio crimina- «
tionem tam gravem probare de- «
buerat Fontaninus : probandam «
non cenſuit. «

At idem ſedulò probat jam «
tum à quinto & ſexto ſæculo «
Eccleſias & Monaſteria habuiſſe «
Tabularia, ubi chartæ, quæ erant «
in pretio , aſſervabantur : atque «
aliquot etiamnum cuſtodiri ve- «
teres chartas ſcriptas in corti- «
ce, papyro Ægyptiaca, & mem- «
branis ; neque verò novum eſſe «
ſcribendorum inſtrumentorum «

» morem. Hæc ille pluribus osten-
» dit : quo labore poterat superse-
» dere, cùm ab Adversario nihil ho-
» rum negetur, sed tria hæc capita
» passim ponantur ut vera.
» Deinde citatas à Germonio Clo-
» tarii ac Ludovici Pii leges Fonta-
» ninus, eo quem ad rem suam ac-
» commodatissimum judicavit, mo-
» do interpretatur; mox pauca quæ-
» dam de chartis Ecclesiarum Re-
» mensis & Forojuliensis delibat.
» Postea scribit magna in Falsatores
» severitate semper fuisse animad-
» versum. Tum verò, quod mire-
» re magis, affirmat, quanquam ip-
» so repugnante Mabillonio, diplo-
» mata spuria ex antiquitùs confi-
» ctis nulla superesse.
» Adversario autem postquàm
» crimini vertit, quòd nullas judi-
» candorum diplomatum regulas
» tradiderit in ea Disceptatione, in

qua traditam à Mabillonio Artem «
evertere conatus est; agit ipse plu- «
ribus de Latinæ linguæ corruptio- «
ne, de scriptura Merovingica, de «
diplomatum veterum stylo & or- «
tographia: atque hæc argumenta «
nonnisi tribus prolixis capitibus «
absolvit. Quæ capita, etsi pauca «
continent, quæ ad quæstionem «
pertineant; multa tamen habent, «
quæ eruditè sunt disputata. De- «
nique priori libro priusquam fi- «
nem imponat Eloquentiæ Pro- «
fessor, ostendit ex silentio Du- «
bleti & Anonymi Scriptoris Gef- «
torum Dagoberti primi nihil ad- «
versus Mabillonium effici posse. «

In altero libro ea Mabillonia- «
na diplomata, quæ à Germonio «
falsi accusantur aut in suspicio- «
nem vocantur, Fontaninus ipse «
defendit. Initium ducit ab illa «
charta, qua monasterio Sandio- «

» nysiano Dagobertus villam Itici-
» niscoam donat. Censet igitur E-
» loquentiæ Professor chartam il-
» lam pro certa & indubitata ha-
» bendam esse ; quamvis à Du-
» bleto Anonymoque Monacho si-
» lentio prætermissa sit, quamvis
» mendosè ab ipso Dagoberto scri-
» ptum Dagoberti nomen exhi-
» beat ; & omnino similis sit alteri
» chartæ, in qua Clodoveus secun-
» dus & Nandechildis ejus mater
» se scribere non posse falsò affir-
» mant.
» Excusata Dagoberti charta
» venit Fontaninus ad celebre il-
» lud diploma, quo Clodoveus se-
» cundus sua monasterio Sandio-
» nysiano privilegia confirmat. In
» eo diplomate, inquit Eloquentiæ
» professor, Jacobus Sirmondus
» non debuit *styli barbarismos ple-*
» *rosque marte suo corrigere*: nec

Gerardo Duboisio debuerant « *scrupulum ingerere orationis &* « *scriptionis crebra vitia, & quan-* « *dam affectati styli suspicionem* « *creare.* Cointius etiam nonnisi « *importuna censura* Episcoporum « subscriptiones ac nomina ab eo- « dem diplomate rejicienda cen- « suit. Quos eruditissimos viros « postquam Fontaninus reprehen- « dit, ad Germonium regreditur, « & probat potuisse Sigebertum « Austrasiæ Regem conventui Cli- « piacensi, ubi Diploma scriptum « est, interesse; Radobertum Ma- « jorem-domus fuisse, regnante « Clodoveo secundo: denique con- « temnenda esse quæ Mabilloniano « exemplari contraria leguntur a- « pud Dubletum & Anonymum « Scriptorem. «

Quod pertinet ad instrumen- « tum illud, in quo Clodoveus se- «

» cundus & Nandechildis ejus ma-
» ter significant se nomen suum
» scribere non posse, quamvis ve-
» teres Historici testentur utrum-
» que scribere potuisse primo Clo-
» dovei anno, imò & ante ipsius
» Dagoberti mortem : objectione
» hac nullo pacto movetur Fonta-
» ninus. Clodoveus, inquit, & Nan-
» dechildis scribere non valebant,
» atque hoc verè confitentur : di-
» cuntur autem quibusdam instru-
» mentis subscripsisse, quia his vel
» ipsi propria manu vel Notarii ip-
» sorum vice signum & notam ali-
» quam appinxerant.

» Neque similius vero est, quod
» Fontaninus ad excusandum aliud
» Clodovei diploma profert. At-
» que istud hac in occasione, ut &
» in aliis pluribus, molestum acci-
» dit, quod ipse Mabillonio, cu-
» jus Vindicias scribit, repugnet.

Quæ ſequitur Chrotildis matro- «
næ charta data dicitur anno Clo- «
tarii tertii decimo ſexto, quem «
tamen Clotarium veteres Hiſto- «
rici ad unum omnes paucioribus «
annis rҫgnaſſe tradunt. At cenſet «
Eloquentiæ Profeſſor vetuſtioris «
chartæ auctoritatem omnium Hi- «
ſtoricorum teſtimonio eſſe ante- «
ponendam : neque propter Hiſ- «
toricos chartam eſſe rejicendam, «
ſed chartæ ipſius adminiculo Hi- «
ſtoricos emendandos. Cætera ar- «
gumenta quibus Fontaninus im- «
pugnata à Germonio Mabillo- «
nii diplomata propugnat, deſcri- «
bere longioris eſſet operæ. Satis «
eſt ſi hîc moneatur Lector, nul- «
lam eſſe à Germonio chartam «
poſtulatam falſi, quam Fontani- «
nus ut veram non defendat. Ger- «
monii erit perpendere, cujus pon- «
deris Fontanini reſponſa eſſe de- «
beant. «

» In his autem Mabilloniano- » rum Diplomatum Vindiciis Fon- » taninus ſpecimen dedit doctrinæ » & eruditionis: diligentiæ etiam » dediſſet, ſi nihil Adverſario affin- » gere ac dicta ejus ſingula accura- » tius expendere voluiſſet, nec Ma- » billonio cujus patrocinium ſuſce- » perat, ſæpiſſime contradiceret.

» In fine operis habetur Appendix » quædam ſcripta vetera comple- » ctens: inter quæ memoranda eſt » Epiſtola Alcuini ad Eanbaldum » Archiepiſcopum. Quæ Epiſtola » nondum edita fuerat, & conti- » net varia documenta eaque uti- » liſſima. His Alcuinus breviter ex- » ponit, quæ ſint Epiſcoporum one- » ra, ſimulque Eanbaldum horta- » tur ad ea diligenter implenda. E- » piſtolam Fontaninus emiſit in lu- » cem, ut eo munere ditaret no- » vam Alcuini editionem, quam in

Galliis parari audierat. Cum E- "
piſtola ſimul edidit accuratas do- "
ctaſque obſervationes, quibus "
nobiliſſimus Abbas Dominicus "
Paſſioneus hanc illuſtravit. "

Atque hæc verba ſunt quibus Trevoltianarum Ephemeridum Scriptores librum Fontanini ſummatim retulerunt. Hîc autem nihil eſt durius dictum & per contumeliam. Notatur quidem iſtud Fontanini vitium, nempe quod aliud probet quàm quod erat probandum; aliud defendat, quàm quod erat impugnatum. At ſi vitium iſtud toto Fontanini opere paſſim regnat; ſi ubique Eloquentiæ Profeſſor ab eo, quod fuit in quæſtione poſitum, aberrat: potuitne referri ejus Liber, quin vitium hoc obſervaretur? Hæc una cauſa eſt, cur Dominicus Lazzari-

nus exarserit in iras, atque Epistolam scripserit, vel potius declamationem gravitate sua & viro nobili non satis dignam, in qua omne convitiorum genus in Trevoltianarum Ephemeridum Scriptores evomit; nec quicquam tamen arguit, quod æqui rerum æstimatores jure notatum dicant. Nihilominus quæ hominis confidentia est, ipse adversarios insultans rogat ut Epistolam suam, si audent, integram referant. Non referent Trevoltiani; neque enim solent hujusmodi libellos scriptis suis integros inserere. Proferam ipse, Epistolamque cum præfatione totam repræsentabo; simul observationes adjiciam, easque brevissimas; ex quibus omnes facilè intelligant, quid de isto Lazzarini fœtu sit sentiendum.

Obſervationes.

*Epiſtola nec Romæ edita eſt, nec per Franciſcum Gonzagam. Nihil in Urbe typis mandatur ſine licentia & approbatione. Neque verò ignoratur, ubi & à quo edita ſit, & qui ad Præfationem adornandam manum ſuam accommodaverint.

Obſervationes in Præfationem.

a. Præfationis hujus Auctor quiſquis eſt, parùm accuratè loquitur; neque enim vetera quælibet diplomata ſunt à me impugnata: ſed illa ſolummodo quæ R. P. Mabillonius indubitatorum diplomatum ſpecimina eſſevoluerat.

b. Diſceptationibus noſtris non ſunt *concitati*, niſi illi qui nefas eſſe putant expendi ab aliis &

Titulus ipſius Epiſtolæ.

DOminici Lazzarini ex Nobilibus de Murro, Epiſtola ad Amicum Pariſienſem, pro Vindiciis antiquorum Diplomatum Juſti Fontanini Forojulienſis, Romæ,* per Franciſcum Gonzagam. 1706.

Præfatio.

Motæ jam pridem à P. Germonio contra veterum Diplomatum [a] fidem controverſiæ in Italia, perinde [b] atque in Gallia, eruditorum & antiquitatis ſacræ ſtudioſorum animos concita-

runt : qui hiſce [c] machinationibus Sanctiones Pontificum ac Principum impeti ſéſerunt, infringi jura publica, privatorum fortunas in periculum vocari. Germonii conatum egregiè retudit [d] Clariſ. Mabillonius, ab eo nominatim laceſſitus. Hunc excepit eruditiſſimus vir Juſtus Fontaninus, & inſigni opere maleſartam Germonii ſubſtructionem [e] funditùs proſtravit, adeóque hoſpitem in re [f] quam ſuſceperat, oſtendit hominem; ùt plane videretur ne quidem initiatus in hanc pa-

ad examen vocari, quæ ipſi præcipiti judicio vera & certa eſſe cenſuerant.

c. Sanctiones Pontificum ac Principum impetunt, infringunt jura publica, privatorum fortunas in periculum vocant, non qui ſpuriarum tabularum falſitatem retegunt, ſed qui ſuppoſititias pro veris admitti poſtulant.

d. Quo ſucceſſu Mabillonius Diſceptationem noſtram confutarit, judicium eſſe volo eorum omnium, qui nec privato affectu, nec anticipatis opinionibus in partes abduci ſe ſinunt.

e. Quid de Juſti Fontanini Opere cenſendum ſit : eo-ne *Germonii ſubſtructio funditùs proſtrata ſit*, quarta Diſceptatio noſtra luculenter aperit.

f. Hic ſermo eſt hominum, qui adverſarios egregiè confutatos putant, cùm plurima in ipſos

ſos convitia & verba contumelioſa evomuerunt.

g. Hæc mea Diſceptatio manifeſtum facit, mihi-ne, an Fontanino hæc loca dicenda ſint *avia*.

h. Trevoltiani Diarii Auctores quam injuſtè & falsò reprehendantur, demonſtrabitur in notis ad Epiſtolam, cui hæc Præfatio eſt præfixa; in quibus excutientur ſigillatim quæcumque hîc per calumniam jactantur.

i. Si qui laudati viri Fontanini operam laudaverint, vel librum non legerant, vel non erant à privato affectu immunes.

k. Nempè à viro nobili & erudito, qualem hîc Dominicum Lazzarinum Præfationis Auctor depin-

ſuſceperat, oſtendit hominem; ut planè videretur ne quidem initiatus in hanc palæſtram deſcendiſſe. Ne verò ſodalem ſuum in [g] aviis locis actum ſine ope deſererent Trevultiani Diarii auctores, [h] dum laudatum Fontanini opus pro more ſuo referunt, in quibuſdam negant dicta, quæ planè dicta ſunt, & ſcripta manent; in aliis ſententias detorquent; modò diverticula quærunt, mox laudatam [i] à laudatis viris Fontanini operam pro viribus extenuant. Id fortaſſe non infeliciter actum, ſi impunè eſſet: at ſecus [k] quàm ſperaverant res ſe ha-

bet. Ubi enim tam iniquè cum amico ſuo Fontanino rem geri animadvertit vir Clariſſ. Dominicus Lazzarinus; nec mora, ad alterum amicum Pariſienſem Epiſtolam mittit: ibique expenſis & examinatis Trevultianorum dictis, [l] aſtutiam hominum prodit ac retegit; malis artibus diſtorqueri Fontanini ſenſa comprobat, admixtiſque ſalibus [m] frequentiſſimis, callidos homines exagitat & traducit: nullum effugium pedem referentibus tutum relinquit. In ſumma, tam præclarè amici partes tuetur, ut operæ pretium ſit Epiſtolam publici juris facere, Eruditis omnibus haud dubiè placituram. Etſi verò ex ungue leonem agnituri ſint, quotquot emunctæ naris homines in hanc Epiſtolam incident: non abs re, nec ingratum Lectori erit, ſi quis qualiſve ſit Auctor

git, non erant ſperanda convitia, ſed argumenta quibus cenſuram quam confutat, iniquam oſtenderet: verùm hæc deerant, illa erant in promptu.

l. Ejuſmodi convitia aſpernari ſatius eſt quàm refellere.

m. Sales illi nec Attici ſunt, nec urbani, ut Epiſtolam legentibus patebit.

aperiamus. D. Abbas Dominicus Lazzarinus [n] ex nobilibus de Murro, quod oppidum eſt celebre in Piceno, Vir apprimè humanioribus literis, Græcis Latiniſque excultus, Juris utriuſque, pariterque Philoſophiæ & Theologiæ Doctor, perfectaque diſciplinarum notitia ſpectabilis, ampliſſimos Magiſtratus cum laude geſſit, Juri dicundo in Peruſia inſigni Urbe deputatus, ubi Auditoris Rotæ, ut vocant, munus pari æquitatis ſagacitatiſque commendatione executus eſt. Ne multa, genere, morum æquabilitate, eruditione, dicendi copia pe-

n. Dominicum Lazzarinum cùm ego non noverim, abſit ut de ejus laudibus quicquam temerè detraham. Laudetur in eo *morum æquabilitas, eruditio, dicendi copia. Numeretur ille inter nobiles de Murro, dicatur apprimè humanioribus literis Græcis Latiniſque excultus, Juris utriuſque pariterque Philoſophiæ & Theologiæ Doctor, perfectaque diſciplinarum notitia ſpectabilis, denique vir omnium numerorum.* His & majoribus, ſi fieri poteſt, præconiis Dominicus Lazzarinus dignus ſit; per me licet. Nollem tamen ejuſmodi præconia eſſe præfixa Epiſtolæ, in qua eximiæ illæ dotes, quæ in Auctore prædicantur, non ſa-

rindè clarus, virque omnium numerorum. Tu vero, candide Lector, his fruere, & vale.

tis relucent. Epistolam enim cum eo quod in præfatione habetur elogio, si Lector componat, censebit vel Auctorem tam illustri elogio non fuisse dignum, vel, quod malim credere, Epistolam eximio Auctore minus dignam præcipiti prælo ab Editore imprudenter esse commissam.

EPISTOLA.

DOminicus Lazzarinus de Murro, Amico Parisiensi S. D.

Pridie Calendas Julii cum allatæ ad nos essent Ephemerides Trevultianæ*, illico quicumque in Bibliotheca Eminentissimi Cardinalis Imperialis eramus (eramus autem frequentes) caput illud avidè perlegimus, quod ad Fontanini nostri librum pertineret. Quid quæris? Mera [a] monstra. Miseros omnino eos

Observationes in Epistolam.

* Mensis Maii.

a. Quid ab eo Scriptore speres, qui vel in ipso orationis exordio declamat & furit?

qui hac ætate ſcribunt, quibus cum [b] larvis illis erit colluctandum! Quas utinam aliquis gravitate ſua à nobis abigat. Dii boni, ut ſunt Trevultiani iſti veſtri abrepti ſtudio partium! ut toti ſunt à mendacio compoſiti! Ut clariſſimi Scriptoris lucem obtegere ſunt conati! Cave, putes, ullum librum fallaciter & inſidioſè magis à quoquam unquam fuiſſe relatum, atque Fontanini liber ab illis modò eſt relatus. Qui ſi aliquando doctis viris negotium faceſſere deſinerent, inviſi eſſe deſinerent. Ne plura. Rem ipſam totam ad te perſcribam diligenter, breviter quidem, tamen ut nihil deſideres. Ubi legeris, me tibi gratum feciſſe dices. Omni omnium commendatione prædicabatur in Gallia; in Gallia autem? imò

b. Trevoltianos Scriptores idcirco Lazzarinus ait *mera monſtra fingere*, objicere *larvas, ſtudio partium abripi, totos eſſe à mendacio compoſitos, referre libros fallaciter & inſidioſè*, quia in referendo Fontanini libro apertam veritatem non diſſimularunt.

in tota Europa, Patris Mabillonii singularis [c] doctrina, quòd involutam vetustorum Diplomatum notitiam, illorum præsertim quæ sub primis Francorum Regibus data essent, non exiguo volumine aperuisset, eaque reduxisset in conspectum hominum, quæ in incredibiles tenebras conjecta essent. Magnum opus & arduum. Si quidem quæ rerum ipsa nomina? videlicet chartæ, præstariæ, tractoriæ, pariculæ, panchartæ, & reliqua hujusmodi barbaris illis ætatibus usurpata. Qui characteres? quæ signa, & subscriptiones literarum? Quàm obscura omnia! quàm pro varietate gentium & temporum varia & multiplicia! Omnium tamen monimentorum rationem vi mentis certam il-

c. Quanquam *singularis est Patris Mabillonii doctrina*: licet tamen traditas ab ipso regulas expendere, & pensare trutinâ severiori. Imò mihi semper persuasum fuit, utiles *de re diplomatica* Libros laturos esse fructum uberiorem, si Auctori detur locus illustrandi quæ sunt obscura, stabiliendi quæ minùs firma videntur, emendandi quæ ipsi per errorem exciderunt.

le, definitamque comprehendit, atque ita compoſuit, ut novam quandam artem effeciſſe viſus ſit. Quàm verò utilis jucunduſque is labor acciderit eruditis, nemo unus, qui ſit ipſe eruditus, non intelligit.

Cùm itaque Mabillonius ſummis laudibus afficeretur, Bartholom. Germonius ſoc. Jeſu anno [d] 1703. (Mabillonius autem ſuum volumen edideerat anno 1681.) libellum ſerò ſibi ſcribendum ſuſcepit, imprimendumque curavit Pariſiis, typis [e] regiis, in quo, ut Mabilloniana ſubſtructio tota corrueret, diplomatum fundamenta omnia concuſſit,[f] totuſque in eo ſtabiliendo fuit, vetuſtas literas, quæ veræ eſſe non abſurdè cre-

d. Exhibita à Mabillonio indubitatorum autographorum ſpecimina quonam tempore ad examen revocata fuerint, maturè an ſerò, nihil admodum refert; at objecta iſtis falſi argumenta valeant, necne, hoc intereſt.

e. Edita eſt prima Diſceptatio mea ſũptibus Clariſſimi Aniſſonii, cujus curæ typi regii commiſſi ſunt, ſed non propterea typis regiis excuſa eſt.

f. Totus in eo fui, ut oſtenderem Tabulas, quæ vetuſtiſſimæ dicuntur, ſine ſolicito examine non recipiendas eſſe ut veras:

di poſſent, omnino nuſquam reperiri. Argumenta verò ad id probandum, ea excogitavit, quæ non à certo firmoque loco ducerentur. Bella enim [g] recenſet, Barbarorum irruptiones, incendia, tineas & reliquas peſtes, quibus chartæ ipſæ labefactantur, ut inde concludat, incredibile prorſus eſſe inter tot incommoda adſervari diplomata ulla potuiſſe. Quæ verò eſſent à Mabillonio edita, eadem neceſſaria conſecutione debere eſſe conficta & ſimulata. Mirum quàm multiplex [h] plauſus ſit illi datus à ſociis & fautori-

excuſa autem in Libris *de re diplomatica* vetuſtiſſimarum Tabularum ſpecimina non carere ſuſpicione falſi: alium mihi ſcopum qui affingit, Diſceptationem meam non legit, vel non intellexit.

g. Ex petitis à temporum longinquitate & injuria argumentis hoc unum colligo, examinanda eſſe Mabilloniana diplomata, nec haberi poſſe tanquam indubitatas veri falſique regulas, antequam certiſſimis ſignis ipſorum veritas nobis innoteſcat. Verùm his generalibus argumentis in ſecunda Diſceptationis parte adjecta ſunt alia, quibus Mabilloniana diplomata ſingula, vel convincuntur falſi, vel in ſuſpicionem adducuntur.

h. Diſceptationem

bus ſuis, qui videlicet in vulgus ſpargerent ſuis illis ἀλαζονείαις Mabillonii librum Germonii operâ non amplius auctoritate valere, & legi deſitum. Affertur interea ad Abbatem Dominicum Paſſioneum, Doctiſſimum illum Juvenem, Germonii Liber. Ille cùm in legendo hæreret, Fontaninum conſuluit, quem nimirum noſſet, vel in illiuſmodi rebus pro diuturna atque accurata vetuſtarum chartarum inveſtigatione eſſe verſatiſſimum. Ne multis. Hominem pro ea, quæ inter illos erat, conſuetudine adegit, ut judicium de Germonio ſuum ſcriberet atque vulgaret. Verùm quod Fontaninus probè intelligeret diplomatum [i] defenſionem cum defenſione vetuſtiſſimæ Pontificiæ ipſius auctoritatis eſſe conjunctam, prop-

noſtram non ſolis ſodalibus noſtris placuiſſe, vel ipſæ teſtes ſunt eruditorum hominum Ephemerides, quæ Pariſiis eduntur, in quibus qui librum noſtrum retulit eruditus Pouchardus, Mabillonio certè non inimicus fuit, mihi tunc ne cognitus quidem.

i. De auctoritate ſummi Pontificis pravè admodum ſentiunt, qui eam putant ſtare non poſſe, ſi Mabillonianorum diplomatum fides vacillet.

terea suum opus Clementi XI. dicavit, ne siquidem Pontificem, eumque prudentissimum lateret, quo Germonii [k] conatus evadere potuisset, nisi opportunè occurreretur. Degebat id temporis Romæ [a] Presbyter Chamillardus, quem unum aliquem ex illis Trevultianis Scriptoribus aiunt esse. Iste stis, idemque locuples esse suis potuit, nisi id putasset miserum confiteri, quàm mirificè in Urbe Fontanini labor probaretur. Tamen quanquam brevi ad suos ille esset reversus, Germonio verò Fontanini liber esset maturè redditus;

k Eò tendit conatus noster, ut demonsstretur Artem, quam Mabillonius statuit, nullam esse: conatus hic si succederet, res eò loci reverterentur, quo erant ante vulgagatos libros *de re diplomatica*. Qui secùs loquuntur, ultrò monstra fingunt, atque adhibita calumnia nituntur, argumentis, quibus satisfacere non valent, odium saltem atque invidiam importare.

a. Presbyter Chamillardus. Ita nobilis de Murro nuncupat eruditum Societatis nostræ Presbyterum P. Stephanum Chamillartium; cujus doctrinam & ingenium si parvi faciebat, nomen certè & familiam venerari debuit, si urbanitatis & decori leges nosset ullas. Sed quid aliud

nihil quicquam minus uterque diu curaverunt, quàm ut Ephemerides illæ ſuæ aliquid de Fontanino referrent; fortaſſe quod tantam lucem, quantam à ſe Scriptoribus afferri putant, Homini non inimico quidem, non ſupino tamen, inviderent. Verùm cùm illud comperiſſent, vel Pariſiis, qua in Urbe minimè omnium voluſent, in illis nundinis doctiſſimorum hominum Fontanini Librum in publicum proponi, [b] laudari, flagitari; atque adeo neminem eſſe reliquum, cui non eſſet perſuaſum, nihil quicquam aliud Germo-

expectes ab eo, qui quàm modeſtè, quam verè ſcribat, nihil penſi habet, modò dicteria, ſannas, convitia effutiat. Jamvero quod ad P. Chamillartium ſpectat, qui & ipſe Trevoltianas Ephemerides ſuis Diſſertationibus ditavit; falſum eſt eum teſtem eſſe *quàm mirificè in Urbe Fontanini labor probaretur.* Imò teſtatur ſe Romæ degentem nihil quicquam de Fontanini Vindiciis audiviſſe, niſi ab ipſo Fontanino: nec mirum, cùm nondum Liber in publicam lucem prodiiſſet.

b, Propoſitum eſſe Pariſiis Fontanini librum, atque ejus programmata literis pluſquam uncialibus ſcripta magno numero affixa compitis vi-

nium [c] obtinuisse, nisi ut enculeatè atque dilucidè ventilaretur, sive ut peniculum tectorium difflaretur; illud tandem octo post menses seriò cogitarunt, ut Librum Fontanini describerent, id est accusarent, atque insidiosè satagerent, ut illius veram cumulatamque laudem imminuerent. Ea igitur perpendamus modò, in quibus Trevultiani disputant.

di. At laudatum ab æquis rerum æstimatoribus Librum & flagitatum nondum scio. Æquos rerum æstimatores dico, non illos, qui quia certis hominibus operam suam linguamque devoverunt & fortasse locaverunt, libros omnes quanquam non lectos, pro affectu tamen & studio partium quas amplexi sunt, despiciunt vel laudant.

c. Qui modo aliis *alazoniam* objiciebat Lazzarinus, quo nomine velit appellari jactationem hanc, qua Disceptationem meam à Fontanino *enucleate, atque dilucidè ventilatam, sive ut peniculum tectorium difflatam esse dicit?* Si putat se tam superba jactatione quicquam apud cordatos viros consequi, fallitur. Norunt illi hanc quorumdam hominum esse consuetudinem, ut Adversarios quos confutare non valent, aut simulent se despicere, aut victos jam & prostratos esse falsò glorientur.

d. Aiunt

Primum. [d] Illud reprehendere videntur, * diplomatum defensionem adeo gravem sanctamque Fontanino visam esse, ut, cùm illam Pontifici dicaret, tum eidem veluti Germonianæ accusationis acta perferret. An vero Trevultiani stipites [e] sunt, qui minimè sentiant, quàm futura fuisset incommoda nova illa Germonii opinio [f] vetustissimis amplissimisque monasteriis, quibus videlicet antiquissima jura eriperentur: quàm gravis & molesta ipsis [g] Regibus, quibus sanctissimum est, sarta tecta ea esse diplomata, in quibus suo-

** Il a crû devoir dedier son livre au Pape, & instruire sa Sainteté du sujet de ce procés.*

d. Aiunt Trevoltiani Scriptores concertationem hanc Fontanino visam esse adeò gravem, ut Vindicias suas summo Pontifici dicandas atque eidem quæstionem exponendam esse censuerit: at istud dum referunt, factum nullo pacto reprehendunt

e. Hi flores sunt, quibus Auctor Epistolam suam exornare amat.

f. Vetustissimis amplissimisque Monasteriis nulla fit injuria, cùm spuriorum instrumentorum falsitas retegitur.

g. Majestatem Regiam violant, non illi qui adulterina diplomata rejiciunt, sed qui fabricant.

rum Majorum erga Monasteria pietas, illustrisque memoria continetur: quàm tandem iniqua ipsis Romanis [h] Pontificibus, qui in Diplomatis antiquioribus suæ vetustissimæ auctoritatis firmissimum præsidium situm esse intelligunt. Si vero id sentiunt; quin etiam illud sentiunt, diplomatum defensionem Pontifici non potuisse non gravem videri, non gratissimam etiam accidere? Quanquam enim Germonius levissimè [i] rem tractet, non idcircò illius conatus non gravissimus est habendus. At caveant, ne nos ista sua reprehensione in ali-

h. Cur dicatur rem summis Pontificibus invisam facere, qui Mabilloniana diplomata in suspicionem vocat; cùm ipse Alexander Tertius suspecta declaraverit oblata sibi Zachariæ & Leonis antecessorum suorum privilegia? Veritatem amant Summi Pontifices: falsorum autem diplomatum fabricatores aut laudatores injustos iidem semper oderunt.

i. Rem brevi scripto tractavit Germonius, sed non levi manu; expendit enim ipsa Mabillonianæ Artis fundamenta, & succussit.

quam gravioremque ſuſpicionem inducant. Quid enim ad hæc dicent homines minimè mali ? Aut enim ideò Fontaninum [k] accuſant, quod rem levis momenti Pontifici nuncuparet : & tunc illud viderint, quàm ſit hoc ipſum dicere à ratione prorſus alienum : aut dicent, rem fuiſſe gravem illam quidem, Pontifici non proferendam tamen ; & tunc illud fateantur oportet, ſe nonnihil [a] Germonio à Pontifice metuiſſe. Et ſanè quin metuerent homini videlicet ſui ordinis, qui, quod incredibile eſſe dixiſſet, ullas vetuſtas chartas ad noſtram ætatem durare potuiſſe, quamplurimis monimentis ad Monaſte-

k. Trevoltiani retulerunt Mabillonianorum diplomatum vindicias eſſe Pontifici dicatas. Iſtud referre non eſt Fontaninum accuſare.

a. Nihil eſt quod Germonius ſibi ab æquiſſimo Pontifice metuat, ob impugnatam Mabillonii Artem. At ſibi metuere debent, qui librorum, in quibus auctoritas Pontificia convellitur, & traditæ à Romanis Pontificibus regulæ exploduntur, Vindicias ſcribunt, & ſcriptas audent offerre Pontifici.

ria, ad Reges, ad Ecclesiam universam spectantibus fidem adimeret, & Ecclesiasticæ antiquitatis faciem magnam partem obnuberet, qui: at nolo esse longior. Certè quidem illi non absurdè metuebant.

Quid autem est quod de Fontanino iterum conqueruntur? Adeó-ne Fontaninus semper in illos peccat? an potius sibi illi peccant? At Fontaninus calumniam adhibuit; commentusque est, affinxitque Germonio alium scopum; ac [b] eum, quem sibi ille proposuerat. Proposuerat autem, se propterea scripturum, non ut sanctissimos Monachos raperet in invidiam; suspicionemque falsitatis; neque ut de Mabillonii laude aliquid detractum vellet, sed ut ipse ea libertate à Mabillonio dissenti-

b. Verè istud Fontanino objectum esse, superius demonstratum est.

ret, quâ Mabillonius à suo olim Papebrochio dissensisset. Si quis illis crederet, [c] quàm malam de Fontanino opinionem, quàm odiosam conciperet. Cùm ego ista legerem, illicò Euripidei Jasonis in mentem venit. Is Medeam per summam injuriam repudiaverat: novam nuptam duxerat, quæ quidem uxoribus omnium rerum inimicissima accidunt. Tamen Medeam ille blandè & comiter, ac si nihil omnino in illam admisisset, alloquebatur. Tale aliquid fecit Germonius. Ut enim amicè & benevolè de Mabillonio loqui videatur. Quid autem est, quod diplomata Sancti Dionysii, eaque illa quæ à Mabillonio essent vulgata, fraude hominum fallaciter facta esse dixit? Id ego tantumdem puto esse, aut jam nihil conjicio, quantum si diceret, Monachos S. Dionysii plerosque falsos fuisse, illusisse Principibus, illusisse Populis per sum-

c. Credent certe quicumque Fontanini Vindicias cum mea Disceptatione component. Quæ proxime sequuntur declamantis Rhetoris verba sunt, non hominis seriò disceptantis.

mam saudem & impudentiam, reliquos verò omnes fuisse aut stultos, si illam non norunt falsitatem; si verò norunt, deque illa tacuerunt, subdolos & fraudulentos. Quo verborum melle hæc absynthia tetra mederi ille unquam poterit? An non hæc est, utar ipsius Medeæ verbis, ἡ μεγίστη τῶν ἐν ἀνθρώποις νόσων πασῶν [d] ἀναίδεια. Quid igitur conqueruntur, ubi Fontaninus, non [e] verbis, sed iis quæ verba ipsa consequuntur, expensis, illud judicium de Germonii scopo fecit, quod quisque, modo prudens, faceret? Quanquam, vel si verba ipsa Germonii expendantur, non adeò blanda sunt, ut exulcerati animi vestigium nullum relinquant. Quare Tre-

d. Trevoltianis Lazzarinus, quæ viri comitas est, *studium partium, mendacia, fallacias*, aliaque id genus exprobraverat: nunc vitium, quod apud homines maximè invidiosum est, exprobrat *impudentiam*.

e. Igitur Fontaninus, fatente Lazzarino, *de Germonii scopo judicium fecit non ipsis verbis expensis, sed iis quæ verba consequuntur.* At si quæ Fontanino visa sunt ex verbis meis consequi, reipsa non consequuntur: si quæ mihi affingit, hæc ipsa

vultiani, quòd Fontaninum accuſarunt, neque reum peregerunt, in S. C. Turpilianum turpiter inciderunt : pænaque illis conſtituenda eſt, quâ affici, ſi convictus erat, reum oportebat. At reliquas accuſationes diluamus. Diſertè multiſque poſitis argumentis Fontaninus primùm confirmaverat ſæculis quinto & ſexto quam plurima Archiva in Eccleſiis & monaſteriis fuiſſe, ad quorum fidam cuſtodiam à delectis hominibus ſummâ diligentiâ advigilabatur : Deinde chartas eorumdem Archivorum non ſanè paucas ad noſtram ætatem perveniſſe : poſtremò uſum donationum in ſcripto antiquiſſimum eſſe. Ab hiſce tribus capitibus Trevultiani aiunt, abſtinere commodè Fontaninum potuiſſe, quod videlicet illa minimè Germonius negaſſet. Hoc illud eſt, [f] *quod ego aio eſſe*

diſertis verbis à me negata ſunt; an perget Lazzarinus Trevoltianos reprehendere, quod dixerint Diſceptationis meæ ſcopum à Fontanino non eſſe intellectum?

f. Quid? ſi qui Religioſis viris turpiſſimam mendacii notam tam confidenter aſpergit, id ipſe committat quod aliis falsò & inverecundè ob-

mentiri. Nollem hanc culpam, ita me Deus amet, religiosis viris exprobrare. Sed quid aliud mentiri est, si id omninò non est: audi Germonium ipsum: * *Creditu difficillimum esse dico ætate Dagoberti primi, Clodovei secundi, Theodorici, Chilperici, Caroli Magni, Ludovici pii, aliorumque primæ vel secundæ Regum nostrorum Dynastiæ autographa integra hactenus permanere.* Quid item illud? *Diplomata vetera cùm scripta fuerint in papyro Ægyptiaca, in cortice, in membranis, quæ corpora fluxa sunt & caduca,* jicit? quâ tandem pœnâ digna judicabitur ejus audacia? Atqui certo certius est, vera loqui, quos Lazzarinus ait *mentiri*: Lazzarini verò fidem non semel desiderari eodem in loco, ubi alios mendacii arguit: utrumque demonstro.

* *Germon. cap. 1.*

Fontaninus fusè in Vindiciis suis hæc tria capita prosequitur: 1. *jam tum à quinto & sexto sæculo Ecclesias & monasteria habuisse sua Tabularia*. . . 2. *Etiamnum superesse chartas veteres scriptas in cortice & membranis*. 3. *antiquissimam esse consuetudinem literis consignandi donationes Ecclesiis factas.* Observarunt Trevoltiani frustra Romanum Eloquentiæ Professorem in his pro-

bandis desudasse, cum nihil horum à me negatum sit. Quæ quidem observatio, si vera est, non debuit omitti. Veram autem fuisse, erit brevi, ut spero, omnibus manifestum. Nam ad primum quod attinet, demonstravi *antiqua Monasteriorum Tabularia* * *non fuisse falsariis impervia*, * *habuisse custodes negligentissimos.* Hæc autem qui demonstrat, certè non negat olim extitisse in Monasteriis scrinia, in quibus veteres tabulæ reconderentur; Tabularia enim quæ non extabant, erant sane falsariis impervia, custodes non habebant negligentes, sed nullos. Jam vero secundum & tertium caput non modo non negavi, sed disertè *incredibile est tanto temporum intervallo illæsa à mucore, situ, muribus aliisque ejusdem generis pestibus restitisse.* Non licet tergiversari. Audi. *Donationes absque scripto & charta valebant, & erant in usu communi.* Qua igitur fronte tria illa capita Germonium non negasse aiunt? Istis-ne hominibus fidem habeas? At aliquid spectarunt tamen, cùm ea dicerent, legi nolebant, tanquam essent, si Diis placet, supervacanea, ea quæ maximè Germonium repressissent. Gravem illam sibi Fontanini in illis ipsis capitibus

**Discept. 1. de vet. Reg. Franc. diplom. p. 28. & seq.*

**Ibid. pag. 31. & seq.*

*Ibid. p. 17. eruditionem devitare eo consilio voluerunt. Mirum profecto est, ut nonnulli homines semper elabantur, non quòd acuti admodum sint, sed quòd parum sinceri. Equidem ubi se premi sentiunt; illicò præcise negant, se illa pronuntiasse, quæ pronuntiarunt tamen. Hoc fit, ut iis, qui contra illos disputant, molesta maximè difficultas exsorbenda sit; nam nisi contumeliosi sint, quod honestis probisque viris gravissimum solet accidere, disputationem habere minimè possunt: finire vero nulla ratione possunt. Næ illi affirmavi: * Secundum quidem his verbis: *extare in Ecclesiarum Monasteriorumque Archivis chartas barbaro quodam & obsoleto scripturæ genere in cortice & membranis exaratas .... hoc probatum est & oculis exhibitum, hoc jam nullus sanæ mentis homo potest in dubium revocare.* Denique tertium caput similiter affirmavi, ubi Mabillonium his cōpellavi verbis: *Quod adversus Papebrochium nostrum pluribus contendis, vir erudite, sexto sæculo jam receptum fuisse morem publica scribendi pro Ecclesiis Monasteriisq; instrumenta, id ego facile adducor ut credam.* Igitur quæ à me manifestè admittuntur,

*Ibid. p. 17.

quæ ſunt diſertis verbis conceſſa, quæ dixi non poſſe ab ullo ſanæ mentis homine in dubium revocari; hæc non eſſe à me negata Trevoltiani pro fide ſua, pro rei veritate, monuerunt. Atqui tamen illos ipſos Lazzarinus, nulla manifeſtæ veritatis, nulla verecundiæ, nulla honoris ſui habita ratione, ait hoc in loco *mentiri:* atque hoc contumeliæ genus dum temerè & falsò viris Religioſis infert, ibidem ipſe fraudem multiplicem committit; & labe quam in alios rejectam voluit, ſe non ſemel contaminat.

lud ego præſentio, Trevultianos etiam hoc ipſum negaturos, ſe ſcripſiſſe, Germonium illa tria capita non negaſſe: jure an injuria, verè an falsò, nihil quicquam intereſt, expediat ſibi modò, ut ſanè expedit apud imperitos.

Ut probet me in ea eſſe opinione *quod nulla etiamnum ſuperſint chartæ veteres ſcriptæ in cortice & membranis*, ea refert quibus creditu difficillimum eſſe dico, ſcripta ætate Dagoberti primi autographa integra hactenus permanere; neque eſſe facile credendum, quod illa tanto temporum intervallo illæſa à mucore, ſitu, muribus, aliiſque ejuſdem generis peſtibus reſtiterint. Verùm vir aſtutus hæc dum commemorat, ſimul alia reticet, quibus eodem in capite ſic mentem meam explicueram. * *Hic tamen obſervatum velim, iſta non eò à me proferri, quòd putem omnino fieri non potuiſſe, ut aliqua veterum* *Ibid. p. 26.

temporum autographa blattarum dentes, improborum hominum manus, vim ignis effugerint. Neque solum dixi fieri posse ut aliqua veterum temporum autographa vera etiamnum supersint: sed reipsa superesse aliquot manifestè suppono in illo * capite, ubi rationem proposui, qua à falsis secerni possint. Atque hæc omnia prætermisit Lazzarinus, ut contenderet me in ea esse opinione, *quod nullæ etiamnum supersint chartæ veteres scriptæ in cortice & membranis:* sed quæ modo retuli, suppresserit ille imprudenter, non fraudulenter, saltem quæ sequuntur excusationem non habent. Istud suscipit demonstrandum, reipsa negatum esse à me, *quod usus donationum in scripto sit antiquissimus:* sic autem istud demonstrat. *Non licet tergiversari,* inquit. Audi. DONATIONES ABSQUE SCRIPTO ET CHARTA VALEBANT, ET ERANT IN USU COMMUNI. Atque hæc verba mea ubi recitavit, indignabundo similis sic exclamat: *Quâ igitur fronte tria illa capita, Germonium non negasse, aiunt? Istis-ne hominibus fidem habeas?* O pudor! O sancta fides! Eóne audaciæ quis deveniat, ut alios falsò arguat impudentiæ, ubi ipse maxime impudentem se probat. *Non licet hic tergiversari,* Lazzarine. *Audi.* In eo ipso capite, quod mihi objicis, apertè declaraveram me Mabillonio suffragari, *cùm adversus Papebrochium nostrum pluribus contendit, sexto sæculo jam receptum fuisse morem publica scribendi pro Ecclesiis Monasteriisque instrumenta.* In ipso textu quem fraudulenter citas, sic

* *Ibid p. 190. & seq.*

ſic fueram locutus : * *quamvis receptus tunc fuerit ſcribendorum inſtrumentorum uſus, non tamen putandum eſt, ſicut ipſe Mabillonius rectè monet, illum ita invaluiſſe, ut donationes nudo verbo abſque ſcripto & charta facta non reciperentur. Valebant illa & erant in uſu communi.* Legiſti hæc Lazzarine, & ſuppreſſis callidè verbis, quibus apertè pronuntio ſcribendorum inſtrumentorum uſum jam tum receptum fuiſſe ; ut hoc ipſum quod affirmabam, à me negatum oſtenderes, detruncaſti verba malitioſè, atque ea ſolummodò repræſentaſti quibus moneo non idcirco rejectas fuiſſe donationes abſque ſcripto factas, ſed diu illas, etiam poſt inductum ſcribendorum inſtrumentorum morem, valuiſſe & fuiſſe in uſu communi. Hanc autem perfidiam ubi commiſiſti , ibidem ipſe alios perfidiæ reos facis ; & vocas homines minimè ſynceros, ſine fronte, ſine fide. Hæccine flagitia impunè committantur in Republica literaria ?

*Ibid. p. 21.

g. Quas *Ephemerides miſeras* vocat Lazzarinus, has omnium ordinum eruditi homines magni æſtimant, & legunt.

Illud item miſeræ g illæ Ephemerides referunt Fontaninum Clotarii & Ludovici Pii leges ad eum ſenſum explicaſſe quem ille eſſet opinatus. Papæ ! Hoccine eſt librum referre ? Hoccine Literatorum eſt Reipublicæ pro-

Les ſens & interprétations qu'il juge convenables.

desse? Quid quæso, vos Trevultiani Heroes tacetis de illa vestra ratione, qua putatis Fontanini[h] explicationem meramo pinationem esse? Nempe erraverit Fontaninus. Præposterè, quantum vultis, sit leges illas interpretatus: quin vos candidè eandem interpretationem etsi malam retulistis? Neque vos ipsi vestrum sensum explicatis, neque alios sinitis vel conjectare quisnam è contra sensus Fontanini fuerit. An illud unum studuisse videri vultis, nempe ut Fontanini summum in ea disputatione judicium elevaretis? An potius vidistis Germonii sophisticen à Fontanino esse retusam, quod contra hiscere ratione non possetis, per dissimulationem, & contemptum vicisse tamen apud ignaros videri voluistis? Id omnino est, belle, novi hominum ingenia.

Nunc ad te redeo, Amice optime, sive potius ad Trevultianos iterum redeo.

h. Fontanini explicationem Trevoltiani præterierunt: non damnaverunt damnandam tamen fuisse, ex his quæ in Disceptatione nostra dicta sunt, certum est.

In magnam * admirationem à Fontanino traducti, ſtupere ſe dicunt. Omnino excutiendus hic ſtupor eſt. Aiunt [i] Fontaninum à Mabillonio diſſentire. Hui! Stupent id, quod docti & probi viri ſolent facere, videlicet non partes in diſputando, ſed veritatem unam intueri. Verùm quî diſſenſit à Mabillonio Fontaninus? Nimirum nullas ait vetuſtas chartas eſſe quæ falſæ ſint. Id certè quidem Mabillonius nuſquam dixerat. Quid? ſi ego ſtupeam modò hominum incogitantiam. Non equidem Fontaninus, nullas ait veterum Principum Literas, earum quæ modo circumferuntur, eſſe falſas. Id æquè ſtultum eſſet atque dicere, nullas eſſe veras; verum illud dicit, nullas ex antiquitùs confictis ſupereſſe. Rem tibi, ne hæreas, enarrabo. [k] Germonius, ut eſt homo apprimè dialecti-

* *Et ce qui doit un peu ſurprendre.*

i. Laudandus, auctore Lazzarino, Fontaninus: cur? quia diſſentit à Mabillonio. Profligandus ipſe ſum, eodem auctore: cur? quia ab eodem Mabillonio auſus ſum diſſentire. O æquiſſimum judicem!

k. Ex eo quod literarum corruptores nulla ætate defue-

cus hoc argumentum pervestigavit. Falsi & Literarum corruptores nulla non ætate fuerunt. Ergo vetusta diplomata falsa esse possunt & simulata omnia. Quantum interest callere artem inveniendi universam? Rides? Ita se res habuit. At Fontaninus [a] jocari nullo pacto voluit. Falsorum pœnam gravem antea quidem semper, sub primis Francorum Regibus gravissimam tamen fuisse ostendit: tum illud docuit eadem ætate, regias Literas, si quæ corruptæ aut falsæ dignoscebantur, fuisse perforatas. Hinc illud efficit, quod est rint, non inde consequens esse puto, fieri posse, ut omnia quæ habentur vetusta diplomata sint falsa. Sed quia magna olim fuit Falsariorum multitudo, inde colligo, vetusta instrumenta quæ in Tabulariis reperiuntur, nec esse temerè ac sine examine habenda pro veris, nec proponi debere tanquam certa indubitatorum autographorum specimina, priusquam ostensum fuerit hæc non esse ex illorum numero quæ à Falsariis fabricata sunt vel corrupta. Hanc utramque consecutionem si ridet Lazzarinus, timeat ne & ipse potiori jure rideatur.

a. Igitur Lazzarino teste, Fontanini fuit hæc argumentatio. *Falsariorum pœ-*

na olim gravis fuit; Literæ Regiæ olim, si quæ falsæ dignoscebantur, fuerunt perforatæ. Ergo non potest fieri, ut diplomata quæ verè falsa sunt, antiquitùs fuerint fabricata. Ergo incredibile prorsus est, ut inter tot diplomata falsa, nulla ad nostram ætatem pervenerint perforata. Atque hanc Fontanini argumentationem ubi Lazzarinus retulit, sic exclamat: *Quis autem ab utraque consecutione, præcipue à prima illa, sanus dissentiat?* Quis potius non dissentiat? Quis non videat consequentia minimè antecedentibus congruere?

b. Nulla non perforata: nullus est sensus. Legendum est, *nulla perforata.*

c. Perveniſſe. Solœ-

ratione consequens, fieri minimè posse, ut diplomata, quæ verè falsa sunt, antiquitùs, id est temporibus illorum Regum, quorum habent fallaciter exscripta nomina, simulata sint: atque etiam incredibile prorsus esse, ut cùm omnia vetusta diplomata falsa à Germonio putentur, nulla non [b] perforata ad nostram ætatem pervenisse. [c] Quis autem ab utraque consecutione, præcipuè vero à prima illa sanus dissentiat? Scilicet corruptores Literarum publicarum fuerunt illa ætate adeo felices, ut in sexcentis diplomatis Principum characte-

res, signa, subscriptiones, clanculum atque impunè imitarentur? Scilicet Principes illorum temporum trunci & larvæ hominum erant, quibus adeo apertè homines imponerent: aut tandem sanctissima Monasteria fallacibus hominibus erant referta omnia, qui mentitis literis iniquè fundos Monasteriorum, jura, dignitates tuerentur.

cismus: legendum, *pervenerint.*

Excussi stuporem hominum, nunc volo querelarum desinant, quas deplorant. Nolo illos dolore absumi miseros. Dolent à Fontanino immeritò Germonio diem dictum. *Datum illi loco criminis*,* quòd Germonius de arte secernendi vera diplomata à falsis, nihil quicquam; ne quidem verbum scripserit, quando videlicet se id facturum Germonius nusquam recepisset. Improbum atque immitem Fontaninum, qui hominem innocentem indignè vexet. Vereor tamen, ut mea illis consolatio profutura sit: nam lenire dolorem minimè possunt suum,

* *Il fait un crime à son adversaire de n'avoir point donné de regle pour distinguer les vraies Chartes.*

[d] nisi mentitos fuisse se iterum fateantur. Quid enim Germonius, si illud non receperat, Librum inscripsit, de arte secernendi vera diplomata à falsis. Num non in librorum inscriptionibus fit veluti quædam tractandarum rerum promissio? Quænam isthæc est levitas, seu potius calliditas? quam quidem Fontaninus probè vidit; monuitque, illud eo titulo Germonium voluisse, ut ea inscriptione homines ad legendum allicerentur. Quandoquidem deterruisset omninò omnes, si ingenuè atque verè ita Librum inscripsisset: DE DUBIO PLUSQUAM PYRRONEO, QUO IN SUSPICIONEM FALSITATIS VOCANTUR DIPLOMATA, ET CHARTÆ VETUSTÆ OMNES OMNIUM GENTIUM, PRÆCIPUE VERO, QUÆ

d. Redit Lazzarinus ad ingenium suum, hoc est, cùm ipse falsum enuntiat, tùm maximè alios mendacii accusat.

e. Vanissimæ huic objectioni responsum est, ubi probatum Disceptationis meæ titulum à Fontanino non intellectum.

f. Hæc & similia falsò & per calumniam jactari norunt omnes, qui Disceptationes nostras legerunt.

IN ARCHIVIS MONASTICIS ESSENT ADSERVATÆ. OPUS INGRATISSIMUM FUTURUM QUAMPLURIMIS ECCLESIIS, MONASTERIIS, REGIBUS, MUNICIPIIS, FAMILIISQUE ITEM PRIVATORUM. AUCTORE PATRE GERMONIO. Quis non hæc legens non illicò clamasset: Pro Nemesis! adeon homines insanire?

Nunc verò illud te faciam certiorem, laudatum à Trevultianis Fontaninum nostrum fuisse. Quamobrem ubi homines conveneris, illis nostro nomine pervelim gratias agas maximas. Aiuntillum Capitibus septimo, octavo, nono, ac tandem decimo eruditum videri quidem; tamen, ea dicere, [g] quæ ad rem minimè pertineant. Mallem non laudassent. Quorsum enim eruditio, aut quidnam esse ea potest, ubi ad rem non pertineat, nisi [h] liræ meræ? At vide quàm semper falsi sunt, scilicet ad rem nihil per-

g. Istud verè notatum esse, fatebitur quisquis Fontanini librum legerit.

h. Cum quis eruditionem fundit, quæ nihil ad rem pertinet, non liram sequitur, sed à recto deflectit & delirando aberrat.

tinuerit prorſus, de veterum Principum ſubſcriptionibus, atque imaginibus, & ſignis ; de barbararum gentium linguis & characteribus, de corrupta Latinitate ; deque iis diſſeruiſſe tandem, quæ diplomatis, ut Philoſophi aiunt, συμβαίνονται, ſive attributa ſunt : præſertim cum Germonius contenderet, vetuſta diplomata ideo falſa eſſe putanda, quod cùm nullam orthographiam habeant, tùm Latinitatem redoleant minimè puram. Scitum hominem ! qui putet à Francis & Longobardis Romana lingua, Romanis notis eleganter diplomata ſcribi potuiſſe. Attamen aliquod verum, ſyncerumque, quanquam minimè vellent, Trevultiani locuti ſunt. Quid enim

i. Diplomatum falſitatem non probavi ex peſſima ipſorum orthographia & Latinitate corrupta : ſed negavi iſtorum veritatem inde probari poſſe : præterea contendi poſſe illa hanc ab cauſam in ſuſpicionem revocari. Hoc ſi ineptum putat Lazzarinus, accuſet ergo Alexandrum tertium, qui Zachariæ & Leonis Anteceſſorum privilegia ſuſpecta habuit, *propter ſtylum dictaminis, & vitium ac corruptionem Grammaticæ artis.*

ad Germonii cavillos Fontanini eruditio pertinet ? Quid necesse erat ex omni ferè antiquitate argumenta ducere, [k] ut confutaretur is, qui vel unum Archivum non pervestigarit; nullasque alias notas intelligat præter eas, quæ modò sunt in usu; nihilque aliud posset quàm allegoriis, rhetoricisque enthymematis uti, quæ à Soario, vel à Pomeo didicisset.

k. Mos est quorumdam hominum convitia profundere & contumeliosa verba, cùm desunt argumenta.

At Trevultiani pergant, seque stupere iterum dicant. Quàm facilè & quàm sæpe stupent! Aiunt se mirari quâ ratione Fontaninus dixerit: à silentio Dubleti & Anonymi Sandionysiani nihil quicquam effici contra Mabillonium. Res obscura est. Ubi explicavero, polliceor, iterum ridebis. Dubletus, ut de Anonymo taceam, sub initium elapsi sæculi nonnulla vetusta diplomata Monasterii Sancti Dionysii in lucem edidit. Multis post annis Mabillonius aliud quoddam diploma ejusdem Monasterii vulgavit, quod inter ea à Dubleto edita minimè legere-

tur. Ubi ad hæc advertit Germonius, illicò hanc argumentationem & conjecturam cœpit: videlicet [a] Mabillonianum diploma necessariò post ætatem Dubleti fuisse simulatum. Quî enim, inquit, si secus esset, illud fuisset à Dubleto silentio præteritum? Ad hæc Fontaninus subridens tandem, Quid? Si Germonius delirat, [b] qui censeat post ætatem Dubleti, id est, hac ipsa ætate (scripserat autem ille anno 1625.) inveniri potuisse chartam Ægyptiacam, atque adeò inventum hominem fuisse, qui adeo graphicè vetustas notas imitaretur? Hoccine censent esse Pyrrhoneum, [c] certis & exploratis rebus fidem adimere, quæ verò fieri nulla ratio-

a. Falsum istud est: neque enim dixi Mabillonianum diploma necessariò post ætatem Dubleti esse simulatum: sed petii, cur à Dubleto, qui significat se omnia recensere, esset præteritum?

b. Uter deliraverit, Germonius-ne, an Fontaninus, prudens lector judicet.

c. Lazzarinus Pyrrhoneos esse censet illos, qui diplomatibus

ne possunt ea credere? Quid autem? si non omnia diplomata illius Monasterii Dubletum edidisse aio? At Trevultiani obstinati obdurant, neque convinci volunt unquam, neque verum dicere. Jamdiu is mos apud recentes ex illo genere philosophos invaluit, ut sibi, non sententiæ convenientia disputent. Puto, te jam risisse: fidem exsolvi. Nunc verò Trevultianorum tragœdiis conturberis oportet. Clamant à Fontanino factum esse facinus; ausum fuisse à Cointio,[d] à Duboisio, & quod non modò facinus, sed scelus est, à Sirmondo qui Jesuita esset, dissentire: dissentire vero illi ut tragœdias efficiant, accusare appellant. At accusaverit Fontaninus; atque adeo *vituperaverit Sirmondum,

quorum falsitas est demonstrata, fidem detrahunt. Utinam non alius unquam literatorum hominum Rempublicam invadat Pyrrhonismus!

d. Trevoltiani dicunt, Sirmondi, Duboisii, & Cointii opiniones rejectas esse à Fontanino: jure an injuria non dicunt: hæ à Fontanino reipsa rejectæ sunt; quid ergo frustra declamat Lazzarinus?

* *Aprés avoir fait le procés &c.*

dum, (quod ſanè ille non fecit, imò hominem valde laudavit) quid enim ? Id videndum fuerat, num vel juſta vel injuſta eſſet reprehenſio. Si juſta, quis unquam impediet, quominus quis à Sirmondo diſſentiat ? ſi verò injuſta, quin Trevultiani, qua ratione eſſet injuſta monuerunt. Verùm quando tragœdiæ evaſerunt meræ nugæ ; certior fias volo, quid Fontaninus in Sirmondum peccaverit. Emendandum ſibi Sirmondus ſuſceperat diploma Clodovæi ſecundi à ſolœciſmis, aliiſque mendis quæ Latinitatem fœdaſſent. Hoc illud eſt quod minimè Fontaninus probavit. Ego verò intempeſtivam illam elegantiam non modò non probo, verùm etiam rideo. Quis autem unquam me deterruerit, cùm ridicula res ipſa ſit, quominus rideam ? An non qui à barbaris diplomatis barbariem ſuſtulerit, fidem illis & probabilitatem ſuſtulerit ?

Verùm non eſt, quin Trevultiani faceti interdum feſtivique ſint. Nullam non dicendi vim callent, nullam negligunt. [e] Aiunt ex Hiſtoriis conſtare Clo-

e. Quam improvidè hæc objiciantur,

dovæum ſecundum & Nantechildem illius matrem noviſſe ſcribere, attamen intelliget, qui Diſceptationes noſtras legerit.

Fontaninum Hiſtoriarum auctoritate minimè moveri. Deinde illud aiunt, futurum * (atque hoc eſt quod facetum eſſe dicebam) ut Fontaninus dolore angatur, imò ardeat, ubi viderit ſuum à ſe Mabillonium de Clodovæi diplomate, deque aliis quibuſdam à ſe poſitis non ſemel diſſentire. At Fontaninus hunc dolorem non modò ſorbebit, verùm etiam concoquet. Trevultiani illi conantur, ut inter Mabillonium & Fontaninum aliqua ſimultas oriatur. Nihil quicquam eſt, moneo, quod ſperare hac in re poſſint. Illis pulcrè convenit, & conveniet ſemper, qui ſi aliquando inter ſe diſſentiunt, ut aliquid invicem vel addiſcant, vel doceantur, ideo diſſentiunt. Quod verò ad Clodoveum & Nantechildem pertinet, nolo abuti patientiâ tuâ. Leviſſima illa argumenta Fontaninus omnia confutaverat. Quin igitur illam confutationem referunt, aut quid obtundunt? Sunt quæ-

* *Il aura le chagrin d'avoir contre luy en cette occaſion, comme en pluſieurs autres le P. Mabillon.*

dam hâc ætate peſtes Philoſophorum, qui quod ad inanem ſcientiæ vindicationem diſputent, argumentationes jam dilutas ideo regerunt, ne rejecti apud imperitos videantur. Itaque pro doctrina, [f] impudentiam, pro rationibus contumelias & mendacia effutiunt. Si quis verò conſtanter & ſolutè redarguat, tum miſerè conqueruntur; ſupplicant; fidem & miſericordam implorant; ſeque indignè & miſerabiliter tractatos clamant. Quæ tamen artes mirum quàm feliciter illis apud vulgus, & quàm proſperè cedant! Tute verò ipſe hanc artem præclarè cognoſceres modo noſtras haſce literas ederes. Illicò clamarent me omnino aſperum [g] fuiſſe: vel odii & livoris convitio notarent, quod hac ætate ad refellendos adverſarios præſentiſſimum remedium habent. Ne multis vellent Fontaninum, quem nos, quem probi omnes colunt, impunè ſuis illis

f Hîc Epiſtolæ ſuæ ſtylum & characterem Auctor deſcribit imprudens.

g. Scilicet urbanus fuit, qui effudit in Adverſarios omne convitii genus.

mellitis venenatisque dictis objurgasse. At dices: quin tu, quin Fontaninus eandem artem? Artem profiteri nolo, quæ ingenua non sit. Apertè, h liberè, sincerè homines, si quid in nos peccarunt, arguere, id ingenuum puto esse; præcipuè cum veritatem & amicos defendimus. Blandis autem verbis lædere hominum existimationem, id neque honestum puto esse, neque Christianum. i Qui mentiuntur mendaces appello, qui animo sunt in nos malo, inimicos. Ego ut turpitudinem, ita convitia, in rebus præcipuè esse puto, non in verbis. An quia Trevultiani Fontaninum non mendacem appellarunt, non ideo mentitum

h. Apertè, liberè, syncerè homines, cum in nos peccarunt, arguere, ingenui sit hominis: at furere in Adversarios, declamare, convitia evomere, quæ vilis plebs vix effutiat, nec Christiani est hominis, nec honesti, nec ingenui.

i. Hîc nosse licet hominis ingenium, qui non patitur quicquam objici alteri, nisi inurbanè & contumeliosè objiciatur.

fuiſſe dixerunt ? Audi ut inſidiosè hoc ipſum dixerint. * Optandum certè erat [k] ut Fontaninus mentem ſui Adverſarii percepiſſet, neque ea interdum dixiſſet, quæ non à Germonio dicerentur. Vide confidentem aſtutiam, vide petulantem urbanitatem. An Trevultiani ſibi cum puerulis rem eſſe gerendam cenſent, qui dulcium verborum cruſtulis capiantur. Verùm non ita erit. Improvidos non ludificabunt. Non feremus. Hoc illos moneas velim : ſed magis pervelim hominibus non modò ſuadeas, ſed, ſi fieri poteſt, etiam perſuadeas, ut cum libros referunt, ſi non doctè, quod non ſemper cujuſvis hominis eſt, ſincerè tamen & candidè, quod nemo homo non poteſt, referant : ſi verò pulcherrimum facinus facere aliquando vellent, [a] ab infelici illa atque miſera, & doctiſſimis quibuſque odioſa Ephe-

k. Quod hic Fontanino objectum eſt, verè objectum fuiſſe hæc noſtra Diſceptatio demonſtrat.

a. Id quod Lazzazarinus poſtulat, quidam cupiunt æmuli, maximè exoptant Hæretici : neutri, ut ſpero, votis perfruentur.

Mais il auroit eſté à ſouhaiter, qu'il ſe fuſt un peu plus appliqué à prendre juſte ce que dit ſon adverſaire, auquel il attribuë quelquefois tout le contraire de ce qu'on lit dans ſon livre.

meridum occupatione prorsùs desistant. Dicas, ab illis annalibus, scriptores omnes, qui docti sint, maximè sibi metuere. Iniquum esse, ut ipsi velint vexare homines de se nihil omninò malè meritos. Sed ubi id minimè persuaseris, moneas saltem ut suorum libros referant dumtaxat: alienos vero negligant. Habent Clarissimos Scriptores, qui in dies prodeunt. Habent exercitationes Scholarum Academicas, illas referant, illas laudent, nihil morabimur. Nos verò liberos immunesque, atque adeò obscuros abire sinant. Præstat enim ignotos esse, quàm malè accipi atque deturpari.

Tandem quod metuam ab illis huic epistolæ, si me amas, amare enim te dicebas, me illis majorem in modum habeas commendatum. Non illud peto, ut in me minimè [b] bacchentur, illud unum peto supplex, ut omne virus in me evomant, nihil reclamabo, tamen meas hasce literas, si tu il-

b. Bacchatur Lazzarinus: illi bacchari non solent, nec in quemquam virus evomunt.

lis legendas dederis, non referant ipſi, ſed integras exſcribant. Non[c] admodum longæ ſunt. Quare nihil omnino immutent velim. Erraverim: rem non explicaverim: obſcurus fuerim. De meo. Non neceſſe eſt eſſe te Oedipum, ut intelligas quid mihi timeam.

c. Non longæ ſunt, ſed inanes ſunt, ſed inurbanæ.

De notis verò Abbatis Paſſionei in Epiſtolam Alcuini, hæc Trevultiani: Doctæ illæ & juſtæ ſunt. Non tam hæc eſt Paſſionei laus,[d] quàm Fontanini reprehenſio. Epiſtolam Alcuini non rejiciunt; væ illi, ſi diploma eſſet! Calendis Auguſti Peruſiam primùm, Murrum deinde cogito. Ibi ſcriptionem illam, quam tecum communicaram, omninò abſolvam, vale.

Penè literas obſignaveram, cùm Fontaninus alteras Ephemerides menſis Junii ad me miſit. Legi illicò Articulum 77. Referunt Germonium fidem hominum ob-

d. Cur Paſſionei laus, reprehenſio ſit Fontanini, plane ignoro.

testari : numquam id voluisse, ut [e] omnia vetusta diplomata falsa esse putarentur, sed tantum illa, quæ à Mabillonio posita sunt : illa esse dumtaxat, quæ falsa diceret. Nos verò, etiamsi velimus, illi credere minimè possumus. Num argumentationes illæ, à situ & mucore ductæ,[f] quas in negandis Diplomatis Merovingicis adhibet, in reliquis aliorum Principum idem non possunt, quod in illis possunt ? Num non qui Mabilloniana diplomata, argumento illo à fragilitate ducto, impugnat, omnes item chartas impugnat. Sed fortasse [g] Germonius receptui canit. Id illi per nos liceat etiam, honorificè modò hoc ipsum ingenuè faciat. Vale iterum.

Roma IX. Kal. Augustas MDCCVI.

e. Id ipsum est firmissimis argumentis demonstratum.

f Illæ argumentationes non sunt adhibitæ ad neganda diplomata Merovingica, sed ad probandum quod illa non debeant recipi sine examine.

g. Non receptui cano, sed mentem meam illis explico, qui non intellexerant, vel qui se non intellexisse simulaverant.

APPENDIX ALTERA,

Adversus M. Antonii Gatti J. C. Epistolam.

POst Dominici Lazzarini Epistolam altera prodiit hoc titulo : *M. Antonii Gatti J. C. Epistola ad virum Clarissimum Jacobum Bernardum pro Vindiciis antiquorum diplomatum Justi Fontanini Forojuliensis. Amstelodami apud Henricum Desbordes 1707.*

Epistola hæc, teste ipso Jacobo Bernardo, non Amstelodami, ut falsò titulus præfert, sed furtim edita est Parisiis aut in Italia; unde Amstelodamum per cursorem missa est. Declamatiunculam rectiùs appellaveris, quàm Epistolam; ut pote verbis contumeliosis, falsis criminationibus, maledictis ex trivio arreptis re-

fertam. Et tamen quod mirere, præfixa eſt Epiſtolæ præfatio, cujus Auctor hanc & aliam Lazzarini, inficetos planè & fœdis conviciorum ſordibus viliſſimos libellos, audet Provincialibus Blaſii Paſqualii literis æquiparare. Quanquam ſi de maledicentia agitur & mala fide, fateor utriuſque Epiſtolæ Auctorem Paſqualii literas imitatum eſſe, aut etiam ſuperaſſe: at trivialia jurgioſorum hominum maledicta cum Paſqualii ſalibus & elegantiis comparari quis ferat?

Jamverò quæ M. Antonii Gatti in hac ſua Epiſtola mens fuerit, quod conſilium, paucis expono. Juſti Fontanini Vindiciæ, quas Lazzarinus, Gattus, aliique ejuſmodi aſſentatores plus æquo admirati fuerant, non pari ubique plauſu exceptæ ſunt. Hoc indi-

gnum cum videretur Lazzarino, virulentam ſcripſit Epiſtolam, quam modò examinabamus. Declamatoris iracundiam & probra cordati omnes viri aſpernati ſunt; nec immeritò: veritas enim non amat ſeſe his armis tegere ac tueri. Atque hoc in cauſa fuit, cur doctiſſimi Pariſienſium Ephemeridum Scriptores in recenſendo Fontanini Libro, nulla Lazzarianæ Epiſtolæ habita ratione, Trevoltianis aſſenſi ſint: utriſque mox ſe adjunxit Vir clariſſimus Jacobus Bernardus. Tot eruditorum hominum conſenſus M. Antonio Gatto diſplicuit: ſtatimque ille ad V. Cl. Jacobum Bernardum Epiſtolam ſcripſit; in qua Germonium quidem multis maledictis proſequitur, Pariſienſes quoque & Trevoltianos Ephemeridum Scriptores, ut leviſſimos

homines atque infidos passim sugillat: Jacobum vero Bernardum, postquam vaferrima deceptum fuisse Epistola immeritò conquestus est, demulcere tamen, & blandioribus verbis devincire sibi satagit.

Verùm non his artibus res egebat: neque huic causæ sese immiscentem Jurisconsultum decebat imitari rixantes è vili plebe mulierculas, quæ adversantes sibi egregiè devictos autumant, cùm spurcissima in ipsos convitia ambabus buccis evomuerunt. Si verè & fideliter Fontanini liber descriptus est, quid est de quo Gattus & cæteri ejus amici expostulent? sin falsò & injustè, cur abeunt in jurgia, nec idoneis rationibus demonstrant falsam & injustam fuisse censuram? Prius hoc viris urbanis semper indi-

gnum

gnum eſt: alterum Marci Antonii Gatti gravitati erat convenientius, & ad purgandum amicum ſuum multò efficacius: quare mirum eſt neglectum eſſe & penitùs omiſſum. Cùm tamen ipſe, & qui ipſius Epiſtolæ Præfationem præfixit, nonnulla declamationi ſuæ interſerant, quæ apertè falſa ſunt & plena calumniæ, hæc breviter indicanda, ne incautum Lectorem decipiant.

I. Præfationis auctor quiſquis eſt, ait, **tentaſſe me univerſam poſtremæ ætatis Hiſtoriam in dubium vocare, & barbaram Hiſtoriam Cimmeria nocte obruere.* At crimen iſtud, quod certè à mente mea ſemper fuit alieniſſimum, quo tandem fundamento objicitur? Mabilloniana ſcilicet diplomata quædam vetera impugnavi, vel potius, ut ait Adverſarius

*Pag. 5.

impugnare me finxi; existimat enim vir perspicax & acutus non verè, sed simulatè impugnatam esse à me Mabillonii Artem Diplomaticam. Sed quid hoc ad Historiam barbaram evertendam? nempe *noveram*, ait,* *diplomatum auctoritate prostrata, Historiam quoque omnino ruere, utpote quæ illorum fundamento præcipuè nitatur.* Aliquam Historiæ lucem accedere posse ex antiquis instrumentis veris certissimè constat, nec ullus est qui neget. Sed *diplomatum fundamento præcipuè nixam esse Historiam, illorumque auctoritate prostrata hanc omnino ruere*, quis admittere velit? quis non rejiciat? Certè absque diplomatum ope ad nos usque transmissa est Græcæ & Romanæ Historiæ integra veritas; ut nihil dicam de Historia sacra, quæ

* *Ibid.*

multò firmius ſtat, & inconcuſſa in æternum ſtabit, etiamſi nulla ipſi vetera diplomata ſuffragentur.

Jamverò ſi inſtrumenta quæ adducuntur, non conſentiant Hiſtoricis, ſed repugnent: iſta profectò Hiſtoriam non ſtabiliunt; impediunt potius, obſcurant, evertunt. Atqui Mabilloniana diplomata quæ ſunt à me impugnata, non aliam ob cauſam pleraque impugnata ſunt, quàm quia coævis & fide dignis Hiſtoricis adverſabantur: neque illis inſtrumentis bellum indixiſſem, aut de illis unquam cogitaſſem, ſi potuiſſent aliquo pacto cum veteri Francorum Hiſtoria in concordiam vocari. Huic illa è diametro repugnant: & tamen Adverſarii ſeriò affirmant *inſtrumentorum* hujuſmodi *auctoritate proſtrata*,

Historiam quoque omnino ruere; utpote quæ illorum fundamento præcipuè nitatur.

II. Idem Præfationis Auctor addit Trevoltianarum Ephemeridum Scriptores * *ad Magistratus Parisienses supplices confugisse, ut Lazzarini Epistola proscriberetur: bibliopolamque integerrimum Dezallierium, tanquam magni criminis reum detulisse, ut ob venditam Epistolam pœnas lueret.....* Hoc qui Auctori renunciavit, rem scripsit falsissimam, mihi certè novam & inauditam. Quanquam id si factum fuisset, pro jure factum fuisset; neque enim Dezallierio, aut cuiquam alteri bibliopolæ Parisiensi licet sub ementito Romanorum typorum nomine contumeliosos libellos aut edere, aut distrahere. Jam verò ex ipsa Lazzarini epistola,

* Pag. 5.

quam integram ſuperius repræſentavi, judicaturi ſunt Lectores, utrum ea Trevoltianarum Ephemeridum Scriptores ſollicitos habere debuerit, an Auctorem ſuum: præſertim cum apud honeſtos viros convitiorum ſordes iis minimè noceant, in quos evomuntur, ſed in ejus, qui evomit, ignominiam vertere ſoleant.

III. Affirmat Gattus * *ſibi ab amicis Pariſienſibus renunciatum eſſe Germonium*, antequam Diarium Amſtelodamenſe typis editum eſſet, *Pariſiis jactaſſe ſe ſuamque cauſam, imò etiam modeſtiam effusè in eo laudatum iri.* Quinam ſint illi Pariſienſes amici, quos hîc Gattus deſignat, neſcio: Hoc unum ſcio illos minimè ſynceros fuiſſe & veraces; qui apertè falſam amico ſuo calumniam ſcripſerint. Certò enim aſ-

* Pag. 2.

firmare possum id quod in Diario Amstelodamensi legendum fuit, mihi non innotuisse, antequam acceptum per cursorem, ut solet, Diarium ipsum typis editum amicus ad me misisset. Quisquis aliud Gatto scribit & asseverat, aut fallit aut fallitur.

* Pag. 9. IV. Denique ait Gattus, * *me dissertissimis verbis semel atque iterum repetitis sexti, septimi, octavi & noni saeculi diplomata autographa alicubi gentium hodie servari tenore effuso negavisse, & libello meo uno atque altero idipsum caeteris persuadere studuisse.* Quod disertissimis verbis semel & iterum repetitis in uno atque altero libello negatum esse à me Gattus asseverat, hoc nusquam negatum esse contendo. Quare restat ut vel disertissima illa verba, semel & iterum repe-

tita proferat; atque ita me convincat mendacii: vel si nusquam extant verba, quæ disertissima ac semel & iterum repetita esse ait, ipse apertæ calumniæ convictus habeatur.

Approbatio Regii Censoris.

JUssu illustrissimi Galliarum Cancellarii, *De veteribus Regum Francorum Diplomatibus, & Arte secernendi antiqua Diplomata vera à falsis, Disceptationes adversus R. P. D. Th. Ruinartii, & Cl. viri Justi Fontanini Vindicias, & Epistolas Clarisſ. virorum Dominici Lazzarini & M. Antonii Gatti* perlegi: eæ sunt duabus aliis præclari Auctoris Disceptationibus haud inferiores. Dat. Par. 18. Febr. 1707. RAGUET.

Permiſſio R. P. Provincialis

EGo infraſcriptus Societatis Jeſu in Provincia Franciæ Provincialis, poteſtate mihi facta à R. P. N. Præpoſito Generali, facultatem concedo, ut liber cui titulus eſt : *Diſceptationes de veteribus Regum Francorum Diplomatibus, adverſus R. Patris Domni Theodorici Ruinart, & Cl. V. Juſti Fontanini Vindicias,* atque Epiſtolas Clariſſ. Virorum *Dominici Lazzarini & M. Antonii Gatti*, à Patre Bartholomæo Germon compoſitus, & trium ejuſdem Societatis eruditorum virorum judicio approbatus, typis mandetur. In cujus rei fidem has literas manu mea ſubſcriptas, & ſigillo meo munitas dedi. Pariſiis die 23. Febr. 1707. C. DELAISTRE.

Privilege du Roy.

LOUIS par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre, à nos Amez & Feaux Conſeillers les gens tenans nos Cours de Parlement, Maiſtres des Requeſtes ordinaires de

noſtre Hoſtel, grand Conſeil, Prevoſt de Paris, Baillifs, Seneſchaux, leurs Lieutenants Civils & autres nos Juſticiers qu'il appartiendra, SALUT. Le Pere Germon de la Compagnie de Jeſus, Nous ayant fait expoſer qu'il deſireroit faire part au public des recherches qu'il a faites ſur les anciens monumens, publiées ſous ce titre *De veteribus monumentis Diſceptationes Criticæ*, s'il nous plaiſoit luy accorder nos Lettres de Privilege ſur ce neceſſaires Nous luy avons permis & permettons par ces preſentes de faire imprimer par tel Libraire ou Imprimeur qu'il voudra choiſir, ledit Livre en telle forme, marge, caractere, & autant de fois que bon luy ſemblera, & de le faire vendre & debiter par tout noſtre Royaume, pendant le temps de huit années conſecutives, à compter du jour de la datte des preſentes. Faiſons défenſes à tous Imprimeurs Libraires & autres perſonnes de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, d'imprimer, faire imprimer, contrefaire, vendre, ni debiter ledit livre; d'en faire aucuns extraits ſous quelque pretexte que ce puiſſe eſtre, meſme d'impreſſion étrangere, ſans le conſentement par écrit de l'expoſant, ou de ſes ayant cauſe, ſous peine de confiſcation des exemplaites contrefaits, de quinze cens livres d'amande contre chacun des contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel Dieu de Paris, & l'autre tiers à l'expoſant, & de tous dépens, domages & intereſts ; à condition que ces preſentes ſeront regiſtrées és Regiſtres de la Communauté

des Imprimeurs & Libraires de Paris ; que l'Impreſſion dudit Livre ſera faite dans noſtre Royaume, & non ailleurs, & ce en bon papier & en beaux caracteres, conformément aux Reglemens de la Librairie, & qu'avant que d'expoſer ledit Livre en vente il en ſera mis deux Exemplaires dans noſtre Bibliotheque publique, un autre dans le Cabinet des Livres de noſtre Chaſteau du Louvre, & un en celle de noſtre tres cher & feal Chevalier Chancelier de France, le ſieur PHELYPEAUX Compte de Pontchartrain, Commandeur de nos Ordres ; le tout à peine de nullité des preſentes. Du contenu deſquelles nous vous mandons & enjoignons, de faire joüir l'expoſant ou ſes ayant cauſe pleinement & paiſiblement, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit fait aucun trouble ou empeſchement. Voulons que la copie deſdites preſentes qui ſera imprimée au commencement ou à la fin, dudit Livre, ſoit tenuë pour deuëment ſignifiée, & qu'aux copies collationnées par l'un de nos Amez & feaux Conſeillers & Secretaires, foy ſoit ajoûtée comme à l'original. COMMANDONS au premier noſtre Huiſſier ou Sergent; de faire pour l'execution des preſentes, tous actes requis & neceſſaires, ſans demander autre permiſſion, & nonobſtant Clameur de Haro, Chartre Normande, & Lettres à ce contraires : CAR tel eſt noſtre plaiſir. Donné à Verſailles, le vingt-neuviéme jour de Juillet l'an de grace mil ſept cents trois, & de noſtre regne le ſoixante & uniéme. *Signé*, Par le Roy en ſon Conſeil, LE COMTE.

Registré sur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris n°. 1. conformément aux Reglemens, & notamment à l'Arrest du Conseil du 13. Aoust 1703. A Paris ce quatriéme jour de Septembre 1703. Signé, P. TRABOUÏLLET, *Syndic.*

Je soussigné, déclare que j'ay cedé à Monsieur RIGAUD le Privilege que j'ay obtenu du Roy le 29 de Juillet 1703. pour le troisiéme volume de l'ouvrage intitulé, *De Veteribus monumentis Disceptationes Criticæ*, pour en jouir en mon lieu & place. Ce 1. Juin 1707. GERMON, de la Compagnie de Jesus.

Registré sur le Livre n° 2. de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, page 111. n° 437. conformément aux Reglemens, & notamment à l'Arrest du Conseil du 13. Aoust 1703. A Paris, ce 4. Juin 1707. GUERIN, *Syndic.*